


Moeller, Ernst Wilhelm
Gregorii Nysseni de natura hominis doctrina illustrata et com origeniana comparata

# GREGORII NYSSENI DE NATURA HOMINIS DOCTRINA ILLUSTRATA ET CUM ORIGENIANA COMPARATA.

## FASCIC. I. GREGORII ANTHROPOLOGIAM CONTINENS.

---

**DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA**

QUAM CUM THESIBUS ADJUNCTIS

AUCTORITATE ORDINIS THEOLOGORUM

SUMME VENERANDI

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRO

**S. S. THEOLOGIAE LICENTIATI GRADU AC VENIA**

LEGENDI RITE OBTINENDIS

DIE VI. MENSIS MARTII MDCCCLIV

PUBLICE DEFENDET

**ERNEST. GUILELM. MOELLER,**

S. THEOL. CANDIDATUS,

ERFORDIENSIS.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

EDUARDUS BOEHMER, DR. PHIL.


CAROLUS HELD, S. THEOL. CAND.

---



**HALIS SAXONUM.**

TYPIS HEYNEMANNIANIS.


LIBRARY
NOV 17 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

Gregorius Nyssenus, qui et propter vim copiamque orationis et propter doctrinam quasi ex uberrimo philosophiae sacrae fonte profluentem jure ὁ ποταμὸς τῶν λόγων a Sophronio (Phot. cod. 231) appellatur, pugna constanti quam contra hostes fidei catholicae et vita et scriptis suscepit magnam apud aequales posterosque sibi paravit auctoritatem. Ac neque vivo ipso neque statim insequenti tempore homines offensi esse videntur iis Gregorii opinionibus, quae a communi ecclesiae fide abhorrentes ad Origenianam philosophandi rationem pertinere videntur, quamvis illo tempore in Palaestina et mox in Aegypto acerrimae exardescerent controversiae de Origene ejusque doctrina. Etiam reviviscente Iustiniani temporibus hac lite, quod sciam, disputatum non est, utrum Nyssenus in eadem atque Origenes offensa sit, necne. Iustinianus certe, qui in epistola ad Mennam (Mansi, ampliss. coll. conc. tom. IX, p. 507) Gregorium contra praeexistentiam animarum disputantem profert, vix praetermissurus fuisset hanc occasionem defendendae patris orthodoxiae, si tunc fuissent qui tuendi erroris causa ad Nyssenum provocarent. Quod tamen mox factum esse videtur, praesertim ubi de restitutione omnium rerum pugnabatur*). Etenim Stephanus Gobarus in libro quem Photius cod. 232. describit Gregorium ab huius haereticae sententiae macula purgare studuit, docens: ὅτι τῷ ἐν ἁγίοις Γρηγορίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Νύσσης τὰ εἰρημένα περὶ ἀποκαταστάσεως οὐκ ἀποδέχεται (ed. Beck. 291). Quomodo hoc probaverit, Photius non narrat. Postea vero dubitationes de pura atque orthodoxa Gregorii fide etiam increvisse, atque dignitatem patris ab ecclesia inter orthodoxos relati in periculum vocasse videntur. Quas ut removeret Germanus patriarcha Constantinopolitanus, ineunte saeculo octavo librum emisit, quem in-

*) Ioannes Philoponus tritheita de resurrctione scripsit, improbans corporum resuscitationem, et nonnullos sanctorum patrum suae sententiae patronos esse contendit, in quibus fortasse Gregorium nostrum esse voluit. (Phot. cod. 21. cf. 22. et 23. cf. etiam Huetius, Origeniana l. II, c. 4. sect. 3. §. 9. ed. Lomm. in opp. Orig. XXIV, p. 82.).

scripsit *ἀνταποδοτικὸν* sive *ἀνόθευτον*, in quo ea ratione Gregorium ab omni Origenianae pestis nota liberare*) studuit, ut haereticos homines, quibus dogma restitutionis hominum daemonumque cordi fuisset, et spuria scriptis ejus admiscuisse ostenderet, et pias sententias perverse explicasse (*τοῦτο μὲν προσθήκαις νόθοις, τοῦτο δὲ καὶ διαστροφῇ τῶν ὀρθῶν διαλογισμῶν βεβιασμένῃ*). Itaque praemissa refutatione illius dogmatis ex scripturis sacris desumta non solum Gregorii sententias haereticae opinioni contrarias attulit, sed etiam locos corruptos ex modo autecedentibus proximeque sequentibus indicare atque refutare studuit. Sunt autem libri, quos adulteratos putavit Germanus: oratio catechetica magna, dialogus de anima et resurrectione (*περὶ ψυχῆς πρὸς τὴν ἀδελφὴν Μακρίναν διάλογος*) et commentatio de vita perfecta sive de vita Mosis (*ὁ περὶ τελείου βίου τὴν εἰσήγησιν ἀναδεξάμενος* ib. 292[b]).

Vidit Germanus, nonnullas quidem ita apertas haereticae pravitatis sedes in scriptis Gregorii inveniri, quae sola saniore interpretatione emendari nequeant, sed tamen non singulos tantum locos, qui facile a reliquis segregari possint, ansam haereticis praebere errorem patri venerabili injungendi, sed universae ejus doctrinae insidere quaedam, quae in malam partem cum specie quadam juris (ut ex ipsius sententia loquar) accipi possint. Inde duplex illa defensionis ratio, quae ipsa ostendit, quam infirmam Germanus tueatur causam. Accedit quod Germanus illam solam, ut videtur, de restitutione doctrinam e Gregorii libris expurgare voluit, neglectis multis aliis Origenisimi notis, quae propter totius doctrinae naturam ex scriptis eius eliminari non possunt, quamvis quod Germanus ad unum illud dogma haereticum tollendum profert, inveniri, dico, in libris Gregorii etiam contraria, multo magis fortasse reliquas eius Origenianis similes tangat opiniones (v. infr. §§. 13 — 15). Quae quum ita sint, non disiungendum nobis est sed conciliandum, idque agendum, ut interiora dogmatum a Gregorio defensorum vincula mutuamque eorum rationem perspiciamus, unde nobis apparebit, quid assumserit Nyssenus ab Origene, quomodo sententias illinc repetitas ipse transmutaverit atque cum ecclesiae placitis magis reconciliaverit.

Atque ad hanc rem dijudicandum in votis nobis est ut nostra quoque disputatio aliquid afferat, quae non quidem to-

---

*) Voluit enim scripta Nysseni *τῆς Ὠριγενείου παρασχεῖν ἐλεύθερα λώβης*. Phot. cod. 233. ed. Beck. p. 292.

tam Gregorii doctrinam proponit, sed partem aliquam quodammodo in se conclusam.

Ut autem doctrinam de homine eligeremus, haec fere nos commoverunt. Primum quidem Gregorius copiosissimus est in describendis dei miraculis, quae in homine ad dei imaginem creato, artificiose instructo, misere lapso, benigne restituto conspiciuntur. Deinde vero haec doctrina, in qua pleraeque de Origenianismo quaestiones quasi concurrunt*), clarius quam alia nobis ostendere potest, quaenam sit cognatio inter Gregorium et Origenem quodque discrimen. Quum enim in doctrina de deo trino Adamantius ita universae ecclesiae magnus praeceptor factus sit, ut etiam Ariani non minus quam Niceni, et aliquo certe jure, ad eum provocarent, difficilius erit, unius patris peculiarem necessitudinem cum Origene hac in re ostendere, quia omnes quidem ad defendendum dogma arma ab illo acceperant, controversiarum autem in ecclesia exagitatarum natura neminem tunc in propria Origenis doctrina acquiescere sivit. Defensor fidei Nicenae hostisque Eunomii acerrimus procul abiecerat, quidquid Origenes de subordinatione quam vocant filii docuerat, professus vero est cum omnibus Athanasianis aeternam filii generationem, quam universa ecclesia ab Origene didicit. Anthropologia vero, quae remotior erat ab illius temporis certaminibus, nec tamen interiore cum theologia nexu caret, melius nobis ostendere potest, quomodo dependeat Gregorii doctrina ab Origene, et quomodo proprium ejus ingenium accepta excoluerit et ad sui temporis rationem accommodaverit.

Quod non parvi esse videtur momenti. Quum enim ab Alexandrinae ecclesiae catechetis, quorum celeberrimus Origenes est, doctrina christiana primum in artem redigi coepta sit adhibito, ut res necessario ferebat, philosophiae tunc vigentis auxilio, fieri non potuit, quin placita quaedam philosophorum notionesque introducerentur in doctrinam christianam, quae aut prorsus alienae ab ipsa aut saltem ad proprietatem christianae veritatis accomodandae erant atque transformandae. Quodsi omnino sequentium temporum historia dogmatum hoc nos docet, quomodo quidquid a philosophia ad excolenda dogmata petitum est, magis magisque in succum quasi et sanguinem ecclesiae sit conversum, operae etiam

---

*) Cf. Hieronymi ep. ad Pammach. ep. 38. ed. Martiany, ubi octo Origenis errores numerantur, de quibus tunc praecipue disputatum est. Cf. etiam Gieseler, K. G. I, 2. p. 94. et Huet. Orig. ed. Lomm. XXIV. p. 22.

pretium esse videtur, cognoscere, quomodo singuli ecclesiae doctores, qui prae ceteris Origenis assectatores habendi sunt, multo majorem quidem liberioremque tribuerint sententiis atque philosophiae illius dignitatem, sed proprio tamen ingenio ita commutaverint Origenis scita, ut labores ecclesiae ad dogmata felicius excolenda atque distinctius definienda inde a tempore Origenis suscepti nequaquam ab ipsis neglecti esse videantur. Neque enim, ut ad nostrum revertar, Gregorius cui maxime omnium patrum tunc temporis illustrium Origenistae nomen imponendum est (cf. Baumgarten-Crusius, Dgm. Gesch. p. 202), ejusmodi fuit assecla et imitator Origenis, qui in verba eius tantum juraret; immo omnes Nysseni libri satis confirmant Neandri sententiam (Kirch.-Gesch. II, 1267. ed. 2.): Gregorium fuisse theologum suo semper judicio utentem, qui quaecumque ab aliis susceperit, propria ex mente quasi iterum procrearet.

Quamobrem ne in singulis sententiis haereamus nimiumve iis tribuamus, sed veram totius anthropologiae ejus indolem perspiciamus, descriptione continua hanc doctrinam explicare prima operis nostri sit pars eaque praecipua; qua peracta in altera disputationis parte, quum Origenis anthropologia post tot virorum doctissimorum*) sudores exiguis nostris non indigeat viribus, singularisque ejus descriptio nimium egressura esset fines operis nostri, brevis statim annectatur conspectus, quo quibusnam in sententiis Gregorius consentiat Origeni quibusque ab eo discedat paucis indicatur.

---

*) Prae ceteris Huetii, Moshemii, Neandri, Thomasii, Redepenningi.

I.

# GREGORII NYSSENI DE HOMINE DOCTRINA.

## A. DE PURA HOMINIS NATURA A DEO CREATA.

### §. 1.

**Deus increatus, aeternus, incorporeus, intelligibilis, qui omnium bonorum plenitudinem complectitur, vel ipse et bonum est et fons omnis boni, per filium virtutem dei in se subsistentem, patri consubstantialem, universum mundum qui bonus est creavit, increatae suae naturae creatam opponens.**

1. Solus deus sensu pleno esse (*ὄντως ὄν*) dicitur, quia solus non ex alia causa exstitit, sed principio caret (est enim *ἄναρχος*) c. Eunom. tom. II, 382. 393. cf. de infant. tom III, p. 325 A.*). Inde sequitur naturam dei nullis spatii vel

*) In plerisque Gregorii operibus usus sum editione Parisiensi altera (a. 1638. 3 tomi fol.), quae licet minus correcta sit quam prior (a. 1615 ib. 2 tomi fol. cum append. Gretseri 1618), auctior tamen est. Orationem autem catecheticam et dialogum de anima et resurrectione ex editionibus Krabingeri multo emendatioribus cognovi (dialog. de an. etc. Lipsiae 1837; orat. catech. ed. nova Monach. 1838), adjeci autem locis ex his libris allatis numerum paginarum editionis Parisiensis etiam a Krabingero margini adscriptarum. Antirrheticum contra Apollinarem cum nonnullis aliis libellis et epistolis apud Zacagnium legi (Collectanea Monument. etc. tom. I, [unicus] Rom. 1698 p. 121 sqq.), qui primus eum edidit. (Testimonia adv. Judaeos, quae ibi leguntur p. 288 — 329 a Gregorio non esse scripta, quia Chrysostomi mentio ibi fiat, jam antea monuerant viri docti, quibus idem opus ex versione latina (opp. Greg. Nyss. lat. a L. Sifano Bas. 1571 et in ed. Paris. altera III, p. 153 spp.) cognitum erat, et eandem sententiam contra Zacagnium, qui locum suspectum unius Codicis Vaticani auctoritate

temporis finibus circumscribi, nullis intervallis dividi (c. Eun. 635 sqq.), sed esse simplicem — non ex partibus compositam — et aeternam, atque hanc ob causam, quum natura materiae et composita, et quia composita etiam interitui obnoxia sit, incorpoream, intelligibilem.

Haec simplex aeterna semperque eodem modo se habens et intelligibilis natura (*φύσις νοητή*) secundum sententiam Gregorii nihil aliud est, nisi spiritus (*πνεῦμα*). Vix autem invenias locum, qui hoc utrumque aut disertis verbis distinguat, aut disjunctione facta in notione dei conjungat, esse deum intelligibilem (ratione percipiendum non sensibus) et intelligentem. Hoc enim argumentis nusquam confirmat, quia in dubium prorsus non vocat, substantiam intelligibilem necessario esse intelligentem sive spiritualem. Itaque quum saepius omnium rerum divisionem faciat in intelligibilia (*νοητὰ*) et visibilia (*αἰσθητά* c. Eun. II, 808 D. ib. 347 sq. et saepius, v. infr.), pro illa voce (*νοητὸν*) saepe utitur verbo *νοερὸν*, quod accuratius vim intelligendi includit (de an. et res. III, 230 D. de infant III, 326). De quo usu horum vocabulorum non satis distincto vide Moshemium ad Cudworthi Syst. intell. p. 1100.

2. Singula de natura et proprietatibus dei exponere non ex nostro proposito est. Praeter ea quae infra passim afferentur, hoc tantum monendum est. Deus quum ens sit verissimum et simul intelligibile, mens aeterna sapientiam voluntatem potentiamque plane inter se congruentes continens (in hexaem t. I, p. 6), eo ipso summum bonum vel omnium vere bonorum est plenitudo (de an. et res. 223 B. *τῶν ἀγαθῶν τὸ πλήρωμα*). Nam omnia vere bona in intelligibilibus esse posita pro certissimo habet Gregorius. Quum vero solus ex intelligibilibus deus increatus, infinitus nullique mutationi subjectus sit, hic solus illud bonum praebere potest, quod non alteri tantum, alteri non, vel certo tantum tempore, sed quod omnibus et semper, quod absolute bo-

---

commotus ex libro emisit, purgatumque opus Gregorio vindicavit [Zac. Coll. Mon. p. XXXVIII et p. 326. not. 3. cf. etiam Fabricii Bibl. graec. VIII. p. 151], nuper Heynsius [disputatio theolog.-histor. de Gregorio Nysseno Lugd. Bat. 1835 p. 86] defendit). His omnibus ex Zacagni libro in bibliotheca vett. patr. tom. VI. iterum descriptis adiecit Gallandius septem epistolas a Caracciolo antea (Flor. 1731) editas nonnullaque alia. Nuper denique Ang. Maius (tom. VIII. Script. Vet. Nov. Coll.) fragmenta aliqua, quae ad doctrinam de trinitate spectant, in publicum emisit.

num est. Immo non praebet, sed est, quia ipse est ens perfectissimum et intelligibile.

Ex quo colligitur, deum omnia intelligibilia quae vere sunt bona in se continentem nullius alienae rei indigentem atque in se ipso beatissimum esse, quippe qui plenitudine bonorum, h. e. sui ipsius pulchritudine semper fruatur (de beatit. I, 764 de an. et res. 223).

3. Bonorum autem plenitudo in deo conclusa propter intelligibilem spiritualemque naturam quiescere non potest, sed vita est, incorruptibilis vita (*ἀκήρατος ζωή* de beatit. l. l.); quae non solum in sancta trinitate deo ipsi aeternae pulchritudinis contemplationem atque fructum praebet (c. Eunom. II, 626 sqq.), sed id quoque agit, ut fons bonitatis fiat effundens bona sua, vel lux spargens splendorem (de beatit. l. l.). Itaque deus non modo ipse summum est bonum sed etiam omnium bonorum causa. *Παντὸς ἀγαθοῦ πηγὴ καὶ ἀρχὴ καὶ χορηγία ἐν τῇ ἀκτίστῳ θεωρεῖται φύσει* c. Eun. II, 341 cf. adv. Apoll. ed. Zacag. p. 174.

4. Quaecunque vero ad procreanda bona necessaria sunt, in divina natura ita concurrunt, ut nihil maius minusve, nihil prius posteriusve cogitari possit: concurrit cum voluntate potestas, et mensura potestatis voluntas est, voluntas autem sapientia est (hexaem. I, p. 6: *ἐπὶ τῆς θείας φύσεως σύνδρομός ἐστι τῇ βουλήσει ἡ δύναμις καὶ μέτρον τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ τὸ θέλημα γίνεται, τὸ δὲ θέλημα σοφία ἐστίν*). Vera inde sequitur notio omnipotentiae, quae iis tantum finibus includitur, quos ipsa divina voluntas eaque non libidine sed pro sapientia sua constituit.

Perficitur autem voluntatis omnipotentis placitum per eum, in quo deus pater omnia bona sua facultatesque amplectitur, per filium, qui non verbum evanescens vel habitus tantum dei est, sed vis essentialiter subsistens eiusdemque quam pater essentiae, voluntate et ipsa boni potestateque instructa. Per hunc omnia, quae sunt, ad existentiam perducta sunt. Hic enim est dei virtus (orat. cat. 47 sqq. 50 sq. c. Eun. II, 591 et multis aliis locis).

5. Jam igitur praeter illud ens verissimum bonumque aliae res per ipsum procreantur. Itaque Gregorius saepe omnium rerum universitatem supremae huic disjunctioni subjicit creati et increati (c. Eun. II, 637). Quum vero deus sit fons omnis boni, etiam antequam ipsam creatarum rerum naturam cognoscamus, hoc firmiter tenendum est: nihil nisi bonum a Deo originem repetere (or. cat. 53 C.), *ἀγαθὸν ὁ κόσμος* (ib. 47 A).

## §. 2.

**Haec creatio facta est, quum deus sola voluntate universas res — intelligibilia et sensibilia — ex nihilo produceret.**

1. Universam rerum naturam a deo esse factam, fides Christiana profitetur. Quomodo autem hoc fiat, obscurius est, ineffabile atque inexplicabile, neque ad simplicis fidei professionem necessario pertinet. Hoc utrumque autem negandum esse monet pia religio: a) ex aliena materia deo coaeterna mundum esse formatum (*ἦ γὰρ ἂν διασχισθείη πρὸς διαφόρους ἀρχὰς ἡ ὑπόληψις, εἴ τι τῆς ποιητικῆς αἰτίας ἔξω νομισθείη* de an. et res. 239 B). Manichaeorum hic error est, nonnullorumque philosophorum graecorum (ib. C. cf. II, p. 11); b) ex ipsa natura divina profluxisse creatas res ita ut ejusdem ac deus essent generis (*ὁμογενῶς ἔχει* ib.). Alioquin deus quoque ad creatae naturae proprietates detraheretur (Eun. II, p. 558 A): *ἴση καθ᾽ ἑκάτερον ἐν τοῖς ὑπονοουμένοις ἡ ἀτοπία, τό τε ἐκ τῆς φύσεως τοῦ θεοῦ τὴν κτίσιν οἴεσθαι καὶ τὸ ἐξ ἑτέρας τινὸς οὐσίας ὑποστῆναι τὰ πάντα* (de an. et res. 392 B). Huic duplici errori opponitur dogma Christianum: a) (negative): quod universae res ex nihilo factae sunt (*ἐξ οὐκ ὄντων* c. Eun. II, 538 D orat. cat. c. 39 p. 107 B) et b) (positive): quod dei **voluntas** omnibus rebus sola ac sufficiens existendi causa est. *θελήματι θεοῦ πάντα συστῆναι τὰ γεγονότα* c. Eun. II, p. 538 D orat. cat. p. 96 C de hom. opif. c. 23. Quum enim ita in deo concurrat potestas cum voluntate, ut sapienti voluntati facultas nunquam desit (cf. supra §. 1, 4), omnia voluntatis divinae consilia, quando ipse vult, res fiunt, propositumque dei in essentiam evadens natura fit (*ἡ ὁρμὴ τῆς θείας προαιρέσεως, ὅταν ἐθέλῃ πρᾶγμα γίνεται καὶ οὐσιοῦται τὸ βούλημα εὐθὺς φύσις γινόμενον*). Efficit enim omnipotens potestas, ne unquam subsistentia careat (*ἀνυπόστατον*) sapientissimae voluntatis consilium: *ἡ δὲ τοῦ θελήματος ὕπαρξις οὐσία ἐστί* (de an. et res. 239). Quamobrem ipsa divina voluntas materia et essentia creaturarum appellari potest (*τὸ θεῖον θέλημα ὕλη καὶ οὐσία τῶν δημιουργημάτων ἐγένετο* tom. II, p. 11). Bene autem novit Gregorius, his sententiis affimari potius obscurum illud dogma quam explicari et ratione comprehendi (de an. et res. 239 C).

2. Mox vero, ubi quantum fieri possit accuratius rationem creandi indagare studet, alterum distinguit ordinem naturarum, intelligibilium, cujus originem mens facilius assequi possit ab altero, sensibilium, qui perscrutaturo maximas obiciat difficultates. Nihil est in rerum natura, quod non per-

tineat ad alterutrum horum generum, quae magno inter se distantia intervallo contrariis distinguuntur qualitatibus, quum alterum sit incorporeum, intactile, formae spatiique expers (vide tamen infra §. 4, num. 3), alterum corporeum sensibusque subjectum (or. cat. 54 B. de an. et res. 240 A. de hom. opif. c. 8. I, p. 59). Quum vero ipse deus intilligibilibus adnumerandus sit, latius etiam illa distinctio extenditur, neque creatas tantum res, sed quaecunque omnino sunt, comprehendit, ita ut c. Eun. II, 341 hanc disjunctionem omnium rerum supremam esse contendat Gregorius (*πάντων τῶν ὄντων ἡ ἀνωτάτω διαίρεσις εἴς τε τὸ νοητὸν καὶ τὸ αἰσθητὸν τὴν τομὴν ἔχει*). Ne autem propter cognationem naturae intelligibilia prorsus e rebus creatis excipiamus, Gregorius eodem loco docet, omnia quidem intelligibilia opposita esse omnibus visibilibus, sed tamen in ipsis discernenda esse creata ab increato. Quamquam igitur major dignitas naturae intelligibilis, quae quum sit divinae naturae similis divinam in se pulchritudinem continet (or. cat. 55 B. *τὸ θεοειδὲς τῆς νοητῆς φύσεως κάλλος* c. Apoll. p. 229), negari non potest, omnino tamen, ubi non ad proprietates naturae sed ad ipsum subsistendi modum respicitur, omnia creata eidem ordini sunt adscribenda. Haec enim omnia quantumvis inter se discrepantia, propterea quod ex nihilo processerunt (*ὧν ἐπ' ἴσης προεπινοεῖται ἡ ἀνυπαρξία*, or. cat. 107 C.), necessitudine inter se coniuncta sunt, atque eodem a suprema et inaccessibili natura distant intervallo (*πάντα μὲν γὰρ ἐπίσης κάτω τῆς θείας ἐστὶ δυνάμεως, ὅσαπερ ἐν τῇ κτίσει καταλαμβάνεται, κἂν ἀσώματον ᾖ, κἂν μετὰ σώματος* adv. Apoll. c. 44 p. 244. cf. ib. c. 42. p. 235. or. cat. 87 A. 107 B. de inf. III, 325 A).

3. Constat igitur intelligibilia quoque per voluntatem dei creatricem esse orta, neque ex essentia dei promanasse. Attamen qui creationis mysterium ratione perspicere studet, multo facilius intelligi posse iudicabit procreationem intelligibilium naturarum quam sensibilium. Illa enim invisibilis creatura nullo modo a deo, cuius natura est esse incorporeum, abhorrere sed ei cognata atque propinqua esse videtur. Quid igitur mirum, quod deus intelligibilis et intelligens mente cogitat cogitabilia et simul (secundum congruentiam sapientiae voluntatis potentiae §. 1, 4.) cogitata vult esse et quae vult existere facit? Talem esse Gregorii de creatione intelligibilium sententiam, ostendunt ea quae de corporum creatione docet:

Quomodo res corporeae deo plane contrariae ab ipso deo proferri possunt? (de an. et res. 240 AB). Quomodo ex in-

visibili visibilia, ex intactili tangibilia, quomodo omnino id quod sensibus percipitur ab intelligibili?

Difficultas tollitur, si probari potest, id quod nos materiam vocamus non esse aliquid per se subsistens mentique plane inaccessum*), sed concursum tantum qualitatum variarum, quae omnes per se quidem rationes sunt (λόγοι), notiones sive mera cogitata (ἔννοαι et ψιλὰ νοήματα), coniunctae autem corpus sive materia fiunt. Atqui corpora ex his qualitatibus, figura, colore, gravitate, intervallo, quantitate reliquisque quas mente comprehendere possumus constare, ex eo liquet, quod his omnibus sublatis corpus tollitur. Si igitur qualitates quibus corpus constat mente percipiuntur, non sensibus (nam etiam per sensus mens proprie cognoscit, non sensus ipsi v. infr. §. 11, 3.), deus autem est intelligens, quisnam est labor intelligenti intelligibilia efficere, quorum mutuus concursus corporis nobis naturam genuit? de an. et res. 240 BC.: οὐδὲν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ τῶν περὶ τὸ σῶμα θεωρουμένων σῶμά ἐστιν, οὐ σχῆμα, οὐ χρῶμα etc. — ἀλλὰ τούτων ἕκαστον λόγος ἐστίν. ἡ δὲ πρὸς ἄλληλα συνδρομὴ τούτων καὶ ἕνωσις σῶμα γίνεται· ἐπεὶ οὖν αἱ συμπληρωτικαὶ τοῦ σώματος ποιότητες νῷ καταλαμβάνονται καὶ οὐκ αἰσθήσει, νοερὸν δὲ τὸ θεῖον, τίς πόνος τῷ νοητῷ τὰ νοητὰ κατεργάζεσθαι, ὧν ἡ πρὸς ἄλληλα συνδρομὴ τὴν τοῦ σώματος ἡμῖν ὑπεγέννησε φύσιν; cf. in hexaem. I, p. 7. de opif. hom. c. 24. Gregorius igitur corpoream naturam quasi dissolvit et, ut ita dicam, ad intelligibilia elementa reducit, quo rationi nostrae difficilem rem acceptiorem reddat.

### §. 3.

**Quaecunque creata sunt, et temporis intervalla in se recipiunt, et mutationi subjecta sunt.**

1. Etiamsi specialem rerum creatarum naturam prorsus non inspiciamus, ipse existendi modus (τρόπος ὑπάρξεως) maximum inter creatam atque increatam naturam esse discri-

---

*) Hac enim in re potissimum haesisse videtur Gregorius. Si materia per se substantia aliqua est, quum simile a simili tantum cognoscatur, ne deus quidem, intelligibilis, intellectu eam comprehendere potest. Quamvis enim perfectissima sit dei mens, ea tamen tantum perspicere potest quae omnino intelligi possunt. De materia igitur deus omnes qualitates et rationes perfectissime cognoscet, sed ipsa „quidditas" materiae etiam divinae menti impenetrabilis manebit. Res autem quae a mente divina comprehendi nequit, quomodo ab ipso deo existendi principium repetere potest? — Etiam Basilius (in hexaem. hom. I, opp. ed. Garnier. t. I, p.

men ostendit. Eo enim quod res ex nihilo procreatae sunt, factae quum antea non essent, simul cum initio necessitatem acceperunt, ut in tempore essent. Nam cum initio necessario introducitur finis, et temporum intervalla naturam creatam in partes dividunt. (Naturae creatae proprium est συμπαρατείνεσθαι τοῖς χρονικοῖς διαστήμασι c. Eun. II, 638.*)

2. Itaque Gregorius creatas res in tempore vel in aeonibus factas esse putat, aeternamque quam vocant creationem improbat. Sola enim sancta trinitas ante omnia saecula erat. Notatu dignum est quomodo Gregorius hoc defendat. Basilius frater contra Eunomium ita fidem Nicenam tuitus erat: pulchrum (τὸ καλὸν) semper adesse deo supremo, pulchrum autem esse, talis filii esse patrem. Quamobrem, quum deus pulchrum semper voluisset sibi adesse, nec non hoc potuisset efficere, semper filium cum deo fuisse. Huic argumento Eunomius opposuerat, etiam creare sine dubio esse pulchrum deoque decorum; cur non semper deo initio carenti affuerit hoc opus pulchrum? Gregorius autem fratris causam defendens inter alia etiam haec profert, quae ad nostram quaestionem spectant. Deo quidem filio si adscribere velles initium in tempore, intervallum poneres inter patrem filiumque; unumquodque autem intervallum duobus includitur finibus. Ergo non filium solum sed etiam patrem ipsum temporis finibus subjiceres. Aliter autem res se habet, quum mundo definitum principium datur. Nequaquam enim hoc cum infinita dei natura pugnat, quia temporum distinctio et comparatio prioris cum seriori re intra fines tantum rerum creatarum recte adhiberi, nihilque ex rebus creatis, quae in tempore sunt, comparari et commensurari potest cum deo auctore temporis. Mens enim nostra quum hunc mundum ejusque saecula permeaverit usque ad initium, infinitum divinae naturae mare invenit, semperque progrediens in finem nunquam impingit (c. Eun. II. p. 635 sqq.). Quid hoc argumentum contra Eunomium valeat, hoc loco nostra non interest. Bene autem docet, ex eo quod mundo certum cum tempore initium adscribatur, non sequi, deum antea omnipotentem non fuisse, postea

---

9.) si demantur, ait, qualitates, nihil restare; sed tantum abest ut inde deducat doctrinam aliquam de materia, ut hanc ipsam ob causam moneat auditores, ne in hac sterili quaestione commorentur, quam ad certam sententiam perducere non possimus.

*) cf. Basil. hom. I. in hexaem. t. I. p. 4. B. Verba illa: „in principio fecit etc. Gen. 1, 1.“ quasi praecinunt dogmata de consummatione mundi.

demum talem esse factum, quoniam dei aeternus existendi modus cum temporali mundi modo omnino comparari nequeat.

3. Solus autem deus aeternus, qui et sui ipsius causa et sine ulla temporum differentia est (cf. §. 1, 1.), semper eodem modo se habere potest, natura creata, cujus vel primum initium mutatio est (quum enim antea nihil esset creatura, per ipsam creationem aliquid fit, h. e. transmutatur), et quae temporis in particulas innumerabiles divisi socia est, necessario mutabili utitur statu. c. Eun. II, 641.

## §. 4.

## Primus supercoelestis angelorum — intelligibilium finitarumque naturarum — mundus creatus est.

1. Intelligibilium creaturarum numerus a deo licet definito tempore factus sit (§. 3, 2.), extitit tamen ante hunc visibilem mundum. Jam tunc enim erat coetus aliquis angelorum varii generisque. or. cat. 55 A. (*τῆς νοητῆς κτίσεως προϋποστάσης κ. τ. λ.*), de eo, quid sit ad imag. t. II, 22.: *συντελέσας γὰρ ὁ κτίστης τὸν ἁπλοῦν καὶ νοερώτατον τῶν ἀοράτων δυνάμεων κόσμον, μεϑ' ὃν καὶ τὸν ὑλικὸν κ. τ. λ.* cf. de infant III, 325 A. *)

Sunt igitur angeli intelligibiles, incorporei (adv. Apoll. c. 26. p. 186., sed vide infra n. 3.) spiritus, (ib. c. 47. p. 252 sq.) **) immateriales, coelestes, puri, a corruptione liberi, deo propinqui (t. II, 23.).

2. Quum vero creaturis adnumerentur, ideoque tempori mutationique obnoxii sint (§. 3.), cum initio vitae finem quoque vel mortis necessitatem in ipsa natura habere videntur. At nonne perpetuo duraturi angeli? Semper erunt, sed non quod vitae fontem in se ipsis habeant, sed quia semper in vita continentur a vera vita. Idonea enim intelligibilis naturae vita est, partem habere dei (*τὸ τοῦ ϑεοῦ μετέχειν*) vel deum adspicere. Quum enim solus deus vere sit, semperque maneat atque eodem modo se habeat (de inf. III, 826.), et quum solus omnia bona spiritualia in se contineat (§. 1, 3.), creata natura nisi per communicationem dei in pulchro versari non potest. Sicut enim esse coeperunt

---

*) Hujus sententiae socios habuit Basilium fratrem (hom. I. in hexaem. t. I. p. 5 sq.), Gregorium Nazianzenum (cf. Ullmann, Greg. v. Naz. p. 497.) alios; alii, ut Augustinus primo die creationis a Mose descriptae angelos putarunt esse creatos.

**) ibi spiritus distinguuntur ab animabus justorum hominum, cf. Cantum trium virorum v. 63. in graec. Daniel. 3.

angeli, sic semper quasi incipiunt in pulchro, h. e. in bonis spiritualibus sive divinis vivere, quia deum adspicientes per incrementum semper ad meliora progrediuntur (c. Eun. II, 640 sqq.), idque ipsum iis fons est vitae nunquam cessurae.

Gregorius igitur angelis boni pulchrique cupidinem tribuit, qua id quod in ipsa natura non possident, a deo ad sustentandam spiritualem vitam accipere student. Quum vero angeli, ut omnes intelligibiles naturae, liberum arbitrium acceperint, vitae autem bonorumque fontem in propria natura non habeant, praetereaque ex ipso existendi initio mutationi subjecti sint, fieri potest ut labantur atque a summo bono ad contrarium, a vita ad mortem se convertant. Nam etiam deus quidem libera utitur voluntate, sed quum divina natura per se bona omniumque bonorum sit plenitudo, mutationis autem motum plane non recipiat, sed idem semper sit, voluntas ejus nunquam ad aliud declinat quam ad id quod deus semper est. (c. Eun. II, 626.). Itaque etiam hic solus habet immortalitatem, reliqua omnis intelligibilis natura pro liberi arbitrii propensione et vitae et mortis communionem sibi adsciscit (c. Eun. 641 sqq.). Intellectuali enim naturae *ἡ πρὸς τὸ θεῖον οἰκείωσις ἡ ἀληθής ἐστι ζωή· καὶ ἡ τούτου ἀπόπτωσις θάνατος.* Non igitur ex propria naturae virtute intelligibiles creaturae in bono, ideoque in vera vita manent, nam mutatio potius iis propria est, sed per gratiam ejus qui in ipsis efficax est arcentur a eontrarii (h. e. mali, mortis) consortio c. Eun. II, 641. Aeternitatem in se non habent.

Not. 1. Verba modo citata haec sunt: *ᾧ δὲ συγγενὴς ἡ ἀλλοίωσις, τοῦτο χάριτι τοῦ ἐνισχύοντος* (h. e. ut nexus sententiarum docet dei, fontis bonorum) *τῆς τοῦ ἐναντίου μετουσίας ἀπείργεται, οὐχὶ δυνάμει τῆς ἰδίας φύσεως ἐν τῷ ἀγαθῷ μένει· τὸ δὲ τοιοῦτον οὐκ ἀΐδιον.* Ne limitari quidem hac sententia liberum naturarum spiritualium arbitrium, ostendunt supra exposita. Opponuntur non gratia et liberum arbitrium (horum enim inter se discordia vel reconciliatio graecis illius temporis patribus nondum ita magnas commoverat dubitationes), sed gratia extrinsecus bona sua spiritalia afferens, quae gratia esse nequaquam desinit, licet summa libertate accipiatur, et natura ex se ipsa vitam spiritalem proferens (quod in solo deo fit, in nulla creata natura).

Not. 2. Consulto supra notiones vitae naturalis angelorum et verae intelligibilis vitae deo adhaerentis intime ipso Gregorio duce conjunximus et commiscuimus. Etsi enim Gregorius non negat, etiam angelos qui se avertant

a deo non deleri, semper tamen omnium intelligibilium naturarum, etiam hominis (v. infr. §§. 22 sq.), immortalitatem non ex naturali earum statu ita a deo constituto, ut semper manerent, sed ex perpetua cum deo ineunda communione derivat. Nam per se unaquaeque creatura, utpote creata, finem vitae non minus haberet quam initium.

3. Quamvis incorporei, immateriales etc. a Gregorio saepius angeli appellentur (cf. num. 1. et praeterea c. Eunom. 812 B. D.), saepe tamen iis supramundanas aethereas habitationes tribuit, in quibus propter levem tenuem atque mobilem naturam versari dicuntur. Quibuscum si comparas, quomodo Gregorius temporis conditionibus angelos subjecerit, bene eum sibi constare censebis, quum angelis corporeae quoque naturae spatio metiendae aliquid tribuat, quo quasi vehiculo in aethereis locis circumferantur. Itaque de orat. I, 743., ubi angelicum ordinem intelligibilem et a gravi corpore sejunctum appellat, hanc addit restrictionem: *τούτου λέγω τοῦ ἀντιτύπου τε καὶ εἰς γῆν βρίθοντος* (sc. *κεχωρισμένη σώματος*), significans his verbis, purius quoddam corpus etiam angelis esse tribuendum. De natura autem hujus corporis coelestique angelorum statu melius infra agi potest, ubi visibilis mundi fabricationem contemplabimur. Ceterum monendum est, hanc sententiam de angelis non prorsus incorporeis vario quidem modo, sed tamen ab omnibus fere patribus defensam esse. cf. Moshem. ad Cudworth. Syst. intell. p. (1069 sq.) 1099 sqq. Keil, opusc. ed Goldhorn. p. 533 sqq. *).

4, Coelestis angelorum coetus divinae bonitatis primum est opus, quod et ipsum eo quod intelligibile et intelligens est, bonam pulchramque auctoris naturam ostendit, et quia vitam suam ex aeterno tantum fonte haurit, primum receptaculum est, in quod lux aeterna splendorem suum effundit. Statim vero creator ex creatis ministros sibi parat ad sequentia opera. Sunt enim angeli spiritus ministrantes (II, p. 34.) non quidem ad ipsam creationem perficiendam, sed ad administrandas singulas mundi partes a supremo numine constituti (or. cat. 56 A. B.).

## §. 5.

**Universae mundi visibilis uno temporis momento procreati partes certo ordine ex statu potentiali ad actualem perductae divinam in se ostendunt sapientiam.**

1. Ex iis quae §. 1, 4. et §. 2, 1. de mutua sapientiae,

---

*) Dionys. Petav. de theol. dogm. III, p. 7. (ed. Antw. 1700),

voluntatis, potentiae divinae ratione et de puro actu creationis exposuimus, universum mundum (visibilem, coelum et terram) uno temporis momento creatum esse sequitur. Cujus rei testis est Moses. Sive enim vertis: in summa (*ἐν κεφαλαίῳ* Aquila) creavit deus etc., sive: in principio (*ἐν ἀρχῇ*), utrumque hanc sententiam confirmat. Per alterum enim statuitur creationem omnia simul comprehendisse (*τὸ συλλήβδην τὰ πάντα γεγενῆσθαι*), per alterum significatur temporis momentum nullum intervallum continens, punctum temporis (*τὸ ἀκαρές τε καὶ ἀδιάστατον· — ἡ ἀρχὴ παντὸς διαστηματικοῦ νοήματος ἀλλοτρίως ἔχει*). Si igitur omnia in principio creata sunt, uno temporis momento esse coeperunt. Per utrumque exhibetur *ἡ ἀθρόα τῶν ὄντων παρὰ τῆς ἀφράστου δυνάμεως τοῦ θεοῦ καταβολή* in hexaem. I, 7 sq. *)

2. Distinguenda autem est ipsa creatio ab explicatione atque prolatione singularum rerum. Nam omnium quidem rerum materias et causas virtutesque (*ἀφορμάς, δυνάμεις*) simul deus creavit, et in primo voluntatis ejus motu variae omnium rerum essentiae (*οὐσίαι*) concurrerunt (coelum, aether, stellae, ignis, terra, animal, plantae etc.), ita tamen ut singula nondum inter se discreta potentialiter tantum essent, non separata subsisterent. in hex. I, p. 8 sq. Qui mundi status nonnullis locis hujus libri (praesertim p. 9.) ita depingitur, ut Chaum Graecorum videre putares. **) Ubi autem accuratius rem exponit, ne materiam quidem elementorum licet commixtorum tunc exstitisse, sed seminalem tantum virtutem semen omnium rerum in se continentem docere Gregorius videtur (*οἱονεὶ σπερματικῆς τινος δυνάμεως πρὸς τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν καταβληθείσης*). Materia enim mundi fa-

---

Nyssenum putat iis adnumerandum esse, qui angelos puros spiritus esse censuerint, sed falso, vide infra §. 6, 2.

*) Similis argumentatio apud Basilium legitur hom. I. in hexaem. t. I, 7., qui ut individuum temporis punctum designet, ait *ἀχρόνως συνυφεστάναι τὸν κόσμον.* Fere iisdem praeterea verbis ibi explicantur verba Gen. I, 1. cf. etiam Garnier ad h. l. in praef. opp. Basil. t I. p. XII sq.

**) *ἀόρατα καὶ ἀφανῆ τὰ πάντα· ἄρτι γὰρ ἀθρόως ἐν τῇ μιᾷ ῥοπῇ τοῦ θελήματος ἀδιακρίτως τοῦ παντὸς ὑποστάντος, καὶ τῶν στοιχείων πάντων ἐν ἀλλήλοις πεφυρμένων, τὸ πανταχοῦ κατεσπαρμένον πῦρ ἀπεσκοτεῖτο, τῷ πλεονάζοντι τῆς ὕλης ἐπιπροσθούμενον κ. τ. λ.* Ex hac autem materia confusa simulac dedit deus incitamentum, primus prosiluit ignis, natura agilis.

bricationi a deo prima subjecta proprie ne corporea quidem est, quia formae omnino est expers et nullis tunc induta qualitatibus, quamquam potentialiter omnes qualitates continet, vel, ut eodem loco ait Gregorius, subjectum aliquod quod recipere potest omnium praedicata qualitatum (*δεκτικὴν δύναμιν τῶν ποιοτήτων ὁ τοῦ παντὸς κτίστης προκατεβάλλετο· κενὴ δέ τις ἦν αὕτη καὶ ἐν ἑαυτῇ εἶχεν οὐδὲν πρὶν συμπληρωθῆναι αὐτὴν ταῖς ποιότησιν* ib. p. 13.). Talis notio materiae non quidem prorsus pugnat cum notione creandi supra §. 2, 3. exposita, res autem ipsa fert, ut Gregorius ubi Mosen secutus describit creationem, non eo recedat, ut ab ipsa illa materialis naturae concretione per solam dei cogitationem facta incipiat descriptionem, — nam hoc describi omnino non potest —, sed primae jam rei, a qua Gregorius initium facit describendae creationis, materiales quasdam notas injungat. Itaque fit, ut alio loco apertis verbis dicat, deum initio patibilem aliquam tractabilemque materiam subjecisse (*παθητικὴν καὶ εὔεικτον ὕλην*), cui deinde varias imposuerit qualitates.

Quamquam autem singulae res in prima creatione non erant, omnes tamen acsi revera jam essent a deo, qui novit omnia antequam fiant, cernebantur. Etenim ipse deus divinam potentiam atque sapientiam simul cum constitutione mundi materiae injecit, per quas singulae res serie quadam statutaque lege proferrentur. Quamobrem eodem jure omnia singula ab invincibili naturae lege derivari, et cum Mose ipsi divinae actioni adscribi possunt. Hoc enim sibi vult narratio Mosis de opere mundi sex diebus absoluto, ut doceatur, omnia ad deum esse referenda, non ad casum fortuitum. Nulla enim res sine deo extitit (*μηδὲν ἀθεεί τι τῶν ὄντων συστῆναι.* in hexaem. p. 8 sq. 11 A. 18 B.).

Quam ob causam Moses unicuique eorum quae fiunt Dei jubentem praeposuit vocem; in omnibus enim divina sapientia apparet et quidquid secundum ordinem sapientiae profertur manifesta dei vox est. Etiamsi enim non ubique cognoscimus divinae sapientiae vestigia, credendum tamen est, omnia a divino Verbo (*λόγῳ*) facta ratione (*λόγῳ*) et sapientia esse plena. Eadem igitur res illis decretis divinis (Gen. 1, 3. 6. 9 etc.) significatur, quam Davides sic exprimit: Omnia in sapientia fecisti (*πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας* LXX. Ps. 103, 24.), et alio loco: Coeli enarrant gloriam dei (LXX. Ps. 18, 1.) in hexaem. p. 9. cf. de an. et res 187 A. orat. cat. 47 A. 50 D. Similiter etiam Basilius hom. V. in hexaem. p. 47.

## §. 6.

**Quum mundus intelligibilis a sensibili prorsus sit separatus, sola autem intelligibilis natura dei communionem recipere possit, omnino a deo abjectus et exclusus esset mundus visibilis, nisi in se haberet copulationem aliquam sensibilis naturae cum intelligibili.**

1. Expositio §. antecedentis narrationem Mosis sequitur, quae visibilium tantum rerum dispositionem nobis tradit (in hexaem. 11.). Fines autem extremos quibus visibilis creatura continetur (nam: *πᾶσα ἡ αἰσθητὴ κτίσις ἰδίοις ὅροις περιέχεται*) mundum intelligibilem attingere putat Gregorius.*) Narrat enim ignem (qui propter levem naturam primus ex Chao prosiluit ib. 9.) natura sua sursum tendentem, quum ad extremos fines pervenisset, intelligibili natura nullam cum sensibili commixtionem admittente, necessario inflecti et circulo extremis circumvolvi finibus. Nam intelligibilem naturam igneae materiae cursum in se non recipere (ib. p. 12.). Ad haec spectat vox firmamenti (*στερέωμα*). Extrema enim sensibilis naturae pars cum reliquis quidem corporibus comparata crassa esse non videtur, quippe quae sensuum perceptionem effugiat (*διαφεύγει τὴν κατανόησιν*), cum intelligibili autem comparata dura appellatur, sicut omnia quae genere sensibilia sunt. Hoc firmamentum finis est sensibilis creaturae, supra quem quae sequuntur ad intelligibilem creaturam pertinent, ad plenitudinem intelligibilium virtutum, quam Moses significat aquis illis supra firmamentum positis (Genes. 1, 7.) et cui Gregorius, si verba tantum audis, naturam prorsus immaterialem adscribere videtur: neque enim formam, ait, neque magnitudinem, neque loci positionem (*τόπου θέσις*) neque intervallorum mensuram (*τὸ ἐκ διαστημάτων μέτρον*), neque colorem neque habitum, neque quantitatem neque quicquam earum rerum quae sub coelo conspiciuntur in illo coelesti mundo inveniri. ib. p. 15 A. cf. p. 16 BC. sqq.**)

---

*) Ex sententia Basilii coelum secludit lucem intelligibilis naturae ab hoc visibili mundo. hom. III.

**) Basilius, cujus sententias in homiliis (in hexaem.) propositas Greg. in libro ejusdem nominis (hexaem.) non refutare sed explicare vult, ut ipse initio libri ait, hac tamen in re aperte repugnat nostro. Pugnat enim contra eos, qui sensus anagogici obtentu dicunt: *δυνάμεις πνευματικὰς καὶ ἀσωμάτους τροπικῶς ἐκ τῶν ὑδάτων σημαίνεσθαι, καὶ ἄνω μὲν ἐπὶ τοῦ στερεώματος μεμενηκέναι τὰς κρείττους, κάτω δὲ ἐν τοῖς περιγείοις καὶ*

2. Attamen certus locus est ille mundus intelligibilis, et aqua spiritualis quae eum repraesentat ita describitur, ut ipsa tenuissima tantum materia esse videatur quae levior quam ignis supra hunc sublata et immota manet (est enim: *ἀνωφερές, κοῦφον, καὶ τῆς κουφότητος τοῦ πυρὸς ἐλαφρότερον· ὥστε ὑπεράνω τῆς θερμῆς οὐσίας μένον κ. τ. λ.*) neque igni permittit, ut per ipsam percurrat (*τῷ τε ὑποτρέχοντι πυρὶ μηδεμίαν δι' ἑαυτοῦ πάροδον ἐᾶν*). Quod vero statim additur: *πῶς γὰρ ἂν τόπος τῷ ὑλικῷ* (i. e. igni) *τὸ ἀϋλον γένοιτο*; et aqua illa extra locum esse dicitur (*ἔξω τόπου*) p. 16., ex aliis locis satis explicari potest, ex. gr. ex p. 38., ubi ait Gregorius, naturae igneae tenuissimas atque a materia puras partes quasi medias esse inter sensibilia atque intelligibilia summumque sensibilis creaturae locum obtinere, quem deinde excipiat intelligibilis et incorporea natura (*ὥστε τὸ μὲν ἄκρως λεπτόν τε καὶ κοῦφον τῆς πυρώδους οὐσίας καὶ καθαρῶς ἀϋλον ἐν τῷ ἀκροτάτῳ γενέσθαι τῆς αἰσθητῆς κτίσεως, ὅπερ ἡ νοητή τε καὶ ἀσώματος διαδέχεται φύσις*). cf. p. 41. 42. de tertio coelo. Perspicuus est ex his locis comparativus vocis *ἀϋλον* sensus. Mundus intelligibilis quasi includit mundum visibilem.

Congruunt haec cum iis, quae supra de corpore intelligibilium diximus. Ipsae quidem intelligibiles naturae secundum propriam naturam prorsus incorporeae sunt substantiae, quum autem creatae sint habeantque finitam existentiam, corpore aliquo quamvis tenuissimo continentur, cui certus etiam locus datus est in supramundanis regionibus quae naturae eorum accommodatae sunt. Intelligibiles versantur *ἐν τοῖς ὑπερκοσμίοις τε καὶ ὑπερουρανίοις, διὰ τὸ κατάλληλον εἶναι τῇ φύσει τὸ ἐνδιαίτημα· ἥ τε γὰρ νοερὰ φύσις λεπτή τις καὶ καθαρὰ καὶ ἀβαρὴς καὶ εὐκίνητος, τό τε οὐράνιον σῶμα λεπτόν τε καὶ κοῦφον καὶ ἀεικίνητον.* de infant. III, 325. cf. orat. catech. 54 D.

Not. 1. Locus quem ex orat. cat. modo citavi a Ruppio (Gregor v. Nyssa, Leipzig 1834. p. 179.) non recte, si quid video, intelligitur. Verba haec sunt: Quum dixisset, in mundo visibili a divina sapientia miram rerum quam maxime contrariarum harmoniam esse factam, pergit: *κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τοῦ αἰσθητοῦ πρὸς τὸ νοητὸν γίνεταί τις κατὰ θείαν σοφίαν μίξις τε καὶ ἀνάκρασις, ὡς ἂν πάντα τοῦ καλοῦ κατὰ*

---

*ὑλικοῖς τόποις προςαπομεῖναι τὰς πονηράς.* hom. III, 31. Recte annotat Garnier (praef. opp. Basil. tom. I. p. XV.), Gregorium partim tantum a fratre discrepare, quum aquas abyssi pro malignis potestatibus accipere non velit.

*τὸ ἴσον μετέχοι καὶ μηδὲν τῶν ὄντων ἀμοιροίη τῆς τοῦ κρείττονος φύσεως. Διὰ τοῦτο τὸ μὲν κατάλληλον τῇ νοητῇ φύσει χωρίον ἡ λεπτὴ καὶ εὐκίνητός ἐστιν οὐσία, κατὰ τὴν ὑπερκόσμιον λῆξιν πολλὴν ἔχουσα τῷ ἰδιάζοντι τῆς φύσεως πρὸς τὸ νοητὸν τὴν συγγένειαν. Προμηθείᾳ δὲ κρείττονι πρὸς τὴν αἰσθητὴν φύσιν γίνεταί τις τοῦ νοητοῦ συνανάκρασις, ὡς ἂν μηδὲν ἀπόβλητον εἴη τῆς κτίσεως — μηδὲ τῆς θείας κοινωνίας ἀπόκληρον* Ruppius vertit: Deshalb nun hat die der geistigen Natur angränzende (!) Sphäre, das dünne und leicht bewegliche im überirdischen Raume nach seiner eigenthümlichen Natur eine nahe Verwandtschaft zum Geistigen. Durch noch grössre Sorgfalt aber ist auch das Geistige der sinnlichen Natur beigemischt etc. *Τὸ καττάλληλον χωρίον* non est locus propinquus intelligibili naturae, sed locus qui intelligibili naturae congruit (ut recte scripsit Krabinger ad h. l. p. 106.), verba *ἡ λεπτὴ — οὐσία* non appositionis locum obtinent, sed cum verbo *ἐστιν* conjuncta praedicatum continent. Duo autem enuntiata particulis *μὲν — δὲ* disjuncti non gradationem sed oppositam sententiam exprimere videntur. Ruppius sic intelligit locum: Deus fecit conjunctionem sensibilis atque intelligibilis naturae. Atque prima quidem ejusmodo conjunctio in illa tenui materia conspicitur; sed divina sapientia diffiicilior etiam consociatio intelligibilis naturae cum hac terrena atque sensibili effecta est. Quum vero sublimes illae coelestesque regiones, quamquam ipsae non absolute incorporeae sunt, a Gregorio saepe opponantur naturae sensibili, nexus sententiarum hic potius esse videtur: Deus illam conjunctionem instituit, ne quid expers sit melioris naturae. Quamobcausam, quamvis (*διὰ τοῦτο τὸ μὲν κ. τ. λ.*) propria intelligibilis creaturae sedes non haec sensibilis crassiorque natura sit, sed coelestis illa tenuisque substantia, propter profundius tamen divinae sapientiae consilium (*προμηθείᾳ δὲ κρείττονι*) facta est intelligibilis naturae cum ipsa sensibili crassaque conciliatio. cf. de inf. III, 325. v. infr. p 21.

Not. 2. Vox *λῆξις*, quae in loco de quo egimus legitur, quamque mere Platonicam appellat Krabinger (libr. I. annot. p. 206.), a nonnullis vertitur sors, a nonnullis locus sive regio. Et revera utrumque inest. Significat enim certam vitae sortem atque consuetudinem certo loco inhaerentem. Sic nostro loco Greg. angelis tribuit *τὴν ὑπερκόσμιον λῆξιν*, de orat. I. 743. ait, angelos *τὴν ἄνω λῆξιν ἐπιπορεύεσθαι*, cf. de profess. christ. III, p. 273.; felix atque beata sors piorum post mortem iis contingens hac voce significatur de an. et res. 218 C., de infant. III, 323. Diabolum ait Gregorius a meliore statu decidisse (*τῆς κρείττονος*

λήξεως) de an. et res. 212 A. cf. praeterea de hom. opif. t. I. p. 91 B. c. Eun. II, 786 D. Et ita nonnunquam certi loci notio in hoc vocabulo praevalet, ut c. Eunom. II, 574 A. ipse Orcus nulla eorum qui ibi commorantur habita ratione ἡ ὑποχθόνιος λῆξις apelletur. Narrat enim Gregorius, Graecos non solum summum coeli orbem, sed etiam septem inferiores coelos pro diis habuisse et aethera etc. — καὶ τὴν ὑποχθόνιον λῆξιν. cf. Reiskii annot. ad Constant. Porphyr. ed. Niebuhr II, p. 376.: „λῆξις aut sors vel conditio est, aut διατριβὴ, χώρα ἐν ᾗ διατρίβεται.“ Patet etiam ex hoc vocabulo, Gregorium sicut reliqui patres fere omnes nullum creaturarum licet intelligibilium vitae statum loci finibus prorsus exemtum docuisse.

3. Rerum igitur naturam si mens nostra contemplatur, quum mundum terrestrem, aera, stellarum errantium spatium, aethereas denique regiones transvolavit, ad intelligibilis mundi tenuem pervenit substantiam cujus superiores fines plane evanescunt (in hexaem. 41 sqq.). Haec autem coelestia atque intelligibilia cum inferiori crassioreque mundo conjunctionem non ineunt. Neque enim quidquam visibilis mundus praebere potest, quod angelicas in ipso naturas retineat. Immo, quaenam fieri possit communio ejus quod sursum fertur levisque est ponderis et ejus quod grave atque ponderosum est? (de inf. III, 325.: τίς γὰρ ἂν γένοιτο τοῦ ἀνωφεροῦς τε καὶ κούφου πρὸς τὸ βαρύ τε καὶ ἐμβριθὲς κοινωνία;). Si vero spirituales naturae hunc mundum fugiunt, quomodo mundus a supremo bono creatus bonus appellari potest? Quum enim deus ipse sit fons et plenitudo bonorum, creatae res bonae sunt, quatenus dei sunt participes (§. 1, 3.). Atqui dei particeps esse divinoque bono frui sensibilis natura per se non potest, quum ea tantum quae deo cognata sunt in communionem ejus recipiantur, cognata autem deo non sensibilia sint sed intelligibilia. orat. cat. 51. C D. cf. supra §. 2, 2. §. 4, 1. 2. Si prorsus igitur expers naturae spiritualis esset mundus, dei creatoris bonum consilium nullum inveniri posset. Qualicunque enim sapientia deus mundum creaverit, exornaverit, in harmoniam concinnaverit (or. cat. 54 C. §. 5, 3.), nil prodest, nisi in mundo sit aliquis qui ratione contempletur divina miracula (ἔδει γὰρ μήτε τὸ φῶς ἀθέατον μήτε τὴν δόξαν ἀμάρτυρον, μήτε ἀναπόλαυστον αὐτοῦ εἶναι τὴν ἀγαθότητα or. cat. 51 C.).

4. Ne igitur divina bona supramundanis tantum illis spiritibus paterent, totus autem visibilis mundus quasi coecus esset semperque deo alienus atque abjectus (ὡς ἂν μηδὲν ἀπόβλητον εἴη τῆς κτίσεως μηδὲ τῆς θείας κοινωνίας ἀπό-

*κλῆρον* or. cat. 54 D.), conjunctione et mixtura quadam (*μίξις τε καὶ ἀνάκρασις*) sensibilis cum intelligibili natura a divina sapientia copulata est. (Totum locum supra descripsi, hujus §. n. 2. sub not. 1.)

Jam terra quoque vitam amplectitur spiritualem, incorpoream, eamque ipsis in corporibus habitantem, ita ut in omni creatura per spiritualem naturam deus supremus et omnipotens glorificetur, quum coelestia et terrestria, eo quod utraque ad deum prospiciunt, non amplius inimica sint inter se, sed unita ad eundem finem tendant. *ὡς ἂν μὴ τελείως ἄμοιρος τε καὶ ἀπόκληρος ἡ γῆ τῆς νοερᾶς τε καὶ ἀσωμάτου διαγωγῆς εἴη, τούτου χάριν προμηθείᾳ κρείττονι* (v. supra p. 18 sq.) *τὴν ἀνθρωπίνην συστῆναι γένεσιν τῇ νοερᾷ τε καὶ θείᾳ τῆς ψυχῆς οὐσίᾳ τῆς γηΐνης μοίρας περιπλασθείσης· ὡς ἂν τῇ πρὸς τὸ ἐμβριθές τε καὶ σωματῶδες συμφυΐᾳ καταλλήλως ἡ ψυχὴ τῷ στοιχείῳ τῆς γῆς ἐμβιοτεύοι, ἐχούσης τι πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς οὐσίαν συγγενὲς καὶ ὁμόφυλον. σκοπὸς δὲ τῶν γινομένων ἐστὶ τὸ ἐν πάσῃ κτίσει διὰ τῆς νοερᾶς φύσεως τὴν τοῦ παντὸς ὑπερκειμένην δοξάζεσθαι δύναμιν, τῶν τε ἐπουρανίων καὶ ἐπιχθονίων διὰ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας, λέγω δὲ διὰ τοῦ πρὸς τὸν θεὸν βλέπειν, ἀλλήλοις πρὸς τὸν αὐτὸν σκοπὸν συναπτομένων. κ. τ. λ.* de infant. qui praemature abripiuntur III, 325 sq.

Hoc igitur summum est sapientissimumque consilium dei, quod hominis fabricatione perficitur:

u t u n i v e r s a r u m c r e a t a r u m r e r u m p a r t e s n a t u r a c o n t r a r i a e (intelligibiles et sensibiles) i n t e r s e c o n c i l i e n t u r, n e v e a l t e r u t r a e a r u m r e r u m q u a e i n a l t e r a c e r n u n t u r p r o r s u s s i t e x p e r s (*τοῦ θείου βουλήματος διὰ τούτων* — [fabricatione hominis] — *πᾶσαν πρὸς ἑαυτὴν οἰκειοῦντος τὴν κτίσιν, ὡς ἂν μήτε τῶν οὐρανίων ὑψωμάτων ἡ κάτω λῆξις* (cf. supra p. 19. not. 2.) *ἀμοιρήσειε, μήτε ὁ οὐρανὸς καθόλου τῶν κατὰ τὴν γῆν ἀμοιρήσειεν, ὡς ἂν γένοιτό τις διὰ τοῦ ἀνθρωπίνου πλάσματος ἑκατέρῳ τῶν στοιχείων μετουσία τῶν ἐν θατέρῳ νοουμένων κ. τ. λ.* de orat. I, 743.),

u t t e r r e n a e t c o r p o r a l i s v i t a i n t e l l i g i b i l i c o n s o c i a t a d i v i n a d o n a e o d e m m o d o i n s e r e c i p e r e p o s s i t q u a m c o e l e s t i s (*ὡς μία τις κατὰ τὸ ὁμότιμον διὰ πάσης τῆς κτίσεως ἡ χάρις διήκοι, τῆς κάτω φύσεως πρὸς τὴν ὑπερκόσμιον συγκιρναμένης* or. cat. 55 A.),

d e n i q u e u t c u m d i v i n o e x t o l l a t u r t e r r e n u m (*ὡς ἂν συνεπαρθείη τῷ θείῳ τὸ γηΐνον* ib.) e naturali quondam exemtum interitu et cum spirituali natura ad coelestia translatum (*τῆς γεηρᾶς ταύτης σαρκὸς ἐν τῇ ἀποκαταστάσει*

*τῶν πάντων εἰς τὸν οὐράνιον χῶρον τῇ ψυχῇ συμμετοικιζομένης.* de orat. I, 743.).

§. 7.

Ad summum igitur finem creatio perducta est in homine qui est mundus quidam mixtus cognatusque utrique mundo.

1. Homo postremo creatus est (*τελευταῖος τῶν κατὰ τὴν κτίσιν ὁ ἄνθρωπος* c. Apoll. 128.), quum antea partes existant necesse sit, quam ea conjunctio fieri possit, quae totum perficiat dei opus (cf. etiam infra §. 8. et 11, 6.).

2. Itaque post omnium rerum creationem homo in lucem prodiit, ut esset vinculum totius mundi (*ἐξ ἑτερογενῶν συγκεκραμένος τὴν φύσιν, τῆς θείας τε καὶ νοερᾶς οὐσίας πρὸς τὴν ἑκάστου τῶν στοιχείων αὐτῷ συνερανισθεῖσαν μοῖραν καταμιχθείσης.* de inf. III, 325.), ipse quasi mundus mixtus utrique mundo, intelligibili et sensibili, affinitate conjunctus. Deus enim quum diceret, „faciamus hominem etc.", fabricatus est *ζῶον, ὥςπερ τινὰ μικτὸν κόσμον συγγενῆ τῶν δύο κόσμων* (or. de eo, quid sit, ad imag. II, 22.). *)

3. Jam vero accuratius inspicienda est artificiosa fabricatio hominis, cujus praestantiam atque dignitatem narratio Mosis ea re significat, quod reliqua quidem omnia uno verbo a Deo procreata esse docet, hominis autem formationi singularem dei deliberationem praemittit (de opif. hom. I, 3. *μόνῃ δὲ τῇ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῇ περιεσκεμμένως πρόςεισιν ὁ τοῦ παντὸς ποιητής, ὡς καὶ ὕλην αὐτῷ τῆς συστάσεως προετοιμάσαι, καὶ ἀρχετύπῳ τινὶ κάλλει τὴν μορφὴν ὁμοιῶσαι, καὶ προθέντα τὸν σκοπὸν οὗ χάριν γενήσεται κ. τ. λ.*). **)

Atque hac tanta donatam dignitate naturam Deus fecit nulla coactus necessitate, sed sola amoris abundantia commotus (*ἀγάπης περιουσίᾳ* or. cat. 51 C. cf. §. 1, 3.). ***)

---

*) cf. Greg. Naz. orat. 38.: Deus fecit hominem *οἷόν τινα κόσμον δεύτερον, ἐν μικρῷ μέγαν ἐπὶ τῆς γῆς ἵστησιν,* ap. Dion. Petav. tom III. p. 156. (ed. Antw.) et Theodor. Mopsv.: deus *βουλόμενος εἰς ἓν τὰ πάντα συνῆφθαι πεποίηκε τὸν ἄνθρωπον κ. τ. λ.* et mox: *πεποίηκεν* (hominem) *ὥςπερ τι φιλίας ἐνέχυρον τοῖς πᾶσι κ. τ. λ.* Maj. Spicil. IV, p. 527.

**) cf. ib.: *τῆς δὲ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς βουλὴ προηγεῖται.*

***) cf. Chrysost. *δι' ἀγαθότητα μόνην.* de prov. tom IV, p. 142. Münscher-Cölln D. G. I, 145.

## §. 8.
## Homo omnia hujus mundi elementa omnesque vitae formas complectitur.

1. Quum deus velit ut nihil in creatura sit abjectum neve divinae communionis expers, homo autem sit illud vinculum duorum mundorum, hominem omnia oportet elementa in se quasi colligere, ut nihil in rerum natura prorsus sit ab ipso alienum. Itaque in homine ex unoquoque elemento pars aliqua cum divina et spiritali natura conjuncta est (cf. de inf. III, 325. locum supra laudatum p. 22.), ita ut parvus mundus (*μικροκόσμος*) appellari possit homo, quamquam haec vox veram hominis dignitatem non exprimit, quum reliqua quoque animantia, ex. gr. mus, ex contrariis elementis sint conflata (de hom. op. 16.).

2. Homo autem, qui terrestrem vitam cum coelesti connectit, hujus mundi tenet fastigium. Quamobrem non quodvis corpus dignitati ejus aptum est, sed natura diversis vitae animatae gradibus ascendens ad illud pervenit fastigium, quo cum intelligibili vita mirifice sensibilis coalescit (*καθάπερ διὰ βαθμῶν ἡ φύσις, τῶν τῆς ζωῆς λέγω ἰδιωμάτων, ἀπὸ τῶν μικροτέρων ἐπὶ τὸ τέλειον ποιεῖ τὴν ἄνοδον* de hom. op. c. 8.). Universa enim corporea natura in duas divisa est partes, quarum altera plane expers est vitae, altera — quam vocamus organicam — vitali vi praedita. In qua item tres vitae gradus distingui possunt, quorum posterior sine priore consistere nequit (*ἐν τρίσιν διαφοραῖς τὴν ζωτικήν τε καὶ ψυχικὴν δύναμιν θεωρεῖσθαι.* de hom. op. cp. 8.). Quam rem, ab exteris quoque philosophis divinatam magis quam clare perspectam*) Moses eo ordine quem sequitur in descriptione creationis nos docet. Hic autem est ordo naturae animatae:

a) vita plantarum vi sese augendi nutriendique praedita, sensuum vero expers (*ζωτική τις δύναμις αἰσθήσεως ἄμοιρος αὐξητική τε καὶ θρεπτική*).

b) alterum vitae genus cui praeter vim nutriendi atque generandi sensuum quoque usus contigit, h. e. brutorum animalium natura (*αἰσθητικὴ ἐνέργεια καὶ ἀντίληψις*, sensuum actio et apprehensio visi).

---

*) — *ἣν* (sc. *τὴν περὶ ψυχῆς φιλοσοφίαν*) *ἐφαντάσθη μὲν καὶ ἡ ἔξωθεν παίδευσις, οὐ μὴν τηλαυγῶς κατενόησεν* de hom. op. c. 8. Ita Gregorii animus imbutus erat hisce sententiis a philosophia repetitis, et ita haec doctrina a dogmatibus Christianis inseparabilis ipsi visa est, ut ex Mosis simplicitate eam depromere mallet, quam ex philosophorum scriptis quae nudis verbis eam exhibent (cf. ex. gr. Plato Tim. 77 B. Rep. IV, 441 B.).

c) ad tertium denique summumque gradum progreditur natura, ubi perfecta vitae in corpore transigendae forma in hominis rationali vita apparet, quae ex omni vitae animatae forma quasi temperata est (*διὰ πάσης ἰδέας τῶν ψυχῶν κατακιρνᾶται τὸ λογικὸν τοῦτο ζῶον, ὁ ἄνθρωπος* de hom. op. c. 8. cf. de an. et res. p. 205.).

Jam vero transgressi sumus fines vitae animalis. Quamquam enim et variae animalis vitae formae et rationalis vita nonnumquam una latiore notione virtutis vitalis comprehenduntur (de an. et res. 205.), aliena tamen prorsus a bruta natura est ea, in qua vis rationis cum vita conjuncta est. Quam nunc accuratius describamus.

## §. 9.

### In artificiosa hominis figura anima inest invisibilis, incorporea, intelligibilis, dei imago.

1. Primum quidem esse aliquam animam in homine dubio caret. Sicut enim universa rerum natura, imprimis concentus earum atque artificiosa extructio, invisibilem esse docet creatorem vi sua divina omnia permeantem et continentem, sic in homine quoque, quem jure appellant parvem mundum, ea quae videmus ansam nobis praebent indagandi absconditum aliquid atque invisibile, quod per corporis instrumenta proprios manifestat motus. Ubi enim anima non est, instrumenta illa jacent otiosa (de an. et res. 187—89.). Agit igitur invisibilis vis per corporis instrumenta, eademque per sensus cognoscit multa quae ipsos sensus superant, quum sensuum auxilio per apparentia ad non apparentia penetret. ib. 191 C.

2. Hanc autem internam hominis vim movendi atque percipiendi non qualitatem esse aliquam ipsis elementis insitam, sed incorpoream et intelligibilem rem, quum ex aliis causis tum ex artificiosis hominum operibus cognoscimus, quae si naturae elementorum adscribenda essent, fortuito nobis essent proventura. Sed arte potius opus est; ars autem intelligentia quaedam **stabilis** est et ad aliquod propositum per materiam operans, distinguens **consilium** sive finem et **viam** per quam ad finem progrediendum est, quum corporeae actiones sint **immediatae** (ib. 192—94.).

3. Cognoscimus igitur hanc animam per corporis instrumenta operantem per sensus cognoscentem, h. e. hanc **mentem** (*νοῦν*), non esse corporeum vel visibile aliquid. Per ipsam antem negationem contrarii ut saepe fit sic hac quoque in re docemur, quid sit mens secundum essentiam (*κατ᾽ αὐτὴν τὴν οὐσίαν*), dummodo firmiter teneamus esse omnino eam quam ex effectibus cognoscimus animam. Hoc enim statuto

mentis naturam cognoscimus abjudicantes illi, quidquid in materia conspicitur vel sub sensus cadit (*μὴ τοῦτο εἶναι, ὃ καταλαμβάνει ἡ αἴσθησις — μηδέ τι τῶν περὶ τὴν ὕλην καταλαμβανομένων ὅλως μηδέν* de an. et res. 194 sq.). Neque enim timendum est, ne sublatis omnibus quae sensibus attinguntur, nihil restet; alioqui ne deus quidem esse posset ib. 195 C. Si deus est, quamvis ab omni materia remotus, humana quoque mens negatis omnibus corporis qualitatibus esse non negatur (ib. D.). Novimus Gregorium universa rerum dividere in intelligibilia atque sensibilia. Quodsi aliquid sensibile esse negatur, at esse asseritur, intelligibile sine dubio est. Jam vero ex comparatione mentis (intelligibilis) cum deo (intelligibili) accuratior mentis descriptio derivari potest.

Nam revera mens hominis est imago dei in omnibus similitudinem cum exemplari referens (*τὸ γὰρ κατ' εἰκόνα γενόμενον διὰ πάντων ἔχει πάντως τὴν πρὸς τὸ ἀρχέτυπον ὁμοιότητα*), nam est incorporea, invisibilis, intelligibilis, rationalis (*νοερός*) de an. et res. 196 A. Quaenam bona facultatesque hac imagine contineantur, enodatius infra explicabitur. Antea autem notandum est, mentem deo in omnibus similem, non eandem cum eo rem esse (aliter non esset imago ejus). Mens est *ἄλλο τι παρ' ἐκεῖνο (τὸ θεῖον) κατὰ τὴν φύσεως ἰδιότητα· — ἀλλ' ἐν οἷς ἐν τῇ ἀκτίστῳ φύσει καθορᾶται ἐκεῖνο, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἡ κτιστὴ φύσις δείκνυσι τοῦτο.* Sicut enim frustulum vitri totam solis imaginem exigua licet mensura reddere potest, sic in exiguitate naturae nostrae ineffabiles divinae naturae proprietates depictae refulgent (*οὕτως ἐν τῇ βραχύτητι τῆς ἡμετέρας φύσεως τῶν ἀφράστων ἐκείνων τῆς θεότητος ἰδιωμάτων αἱ εἰκόνες ἐκλάμψουσιν κ. τ. λ.*) de an. et res. 196 A sqq. Distinguit hoc loco Gregorius divinae naturae proprietatem (*φύσεως ἰδιότητα*) et ea omnia, quae divinae naturae propria sunt (*θεότητος ἰδιώματα*), in quibus deus versatur (*ἐν οἷς*), et ait, secundum naturae quidem proprietatem differre hominem a deo, creatum ab increato, quamquam et antea menti humanae plenam in omnibus (*διὰ πάντων πάντως*) similitudinem tribuerat, et mox hominem docet esse essentiam intelligibilem, quia sit imago essentiae intelligibilis (*νοητὴν μὲν οἴεσθαι τὴν οὐσίαν* (sc. mentis), *ἐπειδὴ καὶ νοητῆς οὐσίας ἐστὶν εἰκών* 196 C.). Secundum formam igitur sive rationem subsistendi causamque existendi toto coelo distant deus et mens humana, sed tamen quod hac utraque forma continetur ejusdem generis est eademque essentia. Utrumque enim est intelligibile et intelligens, spiritus sive ratio (cf. §. 1.). Illud autem discrimen inter deum et homi-

nem diversitas naturarum appellari potest, quia ipsa prima causa existendi hominem a divina natura separat, quum deus sit increatus, principii expers, causa sui, aeternus et indefinitus, humana mens autem creata, finita, mutabilis. Itaque fit, ut quum alias, ubi de trinitate loquitur Gregorius, plerumque idem significent voces *φύσις* et *οὐσία*, nostro loco in comparatione dei et hominis opponantur natura et essentia (*φύσις* qua differunt, *οὐσία*, qua mens dei imago est) eodem sensu, quo de hom. opif. c. 16. p. 87. deum hominemque similem esse docet in iis rebus, quae in divina et humana natura animadvertuntur (*τὰ ἐπιθεωρούμενα τῇ θείᾳ φύσει καὶ τῇ ἀνθρωπίνῃ*), differre autem in subjacenti (*ἐν τῷ ὑποκειμένῳ*). Atque ad hanc differentiam naturae sive subjacentis respicit Gregorius, quum Apollinarium increpans, qui dixerat *θεὸς νοῦς ὢν κ. τ. λ.* p. 220, quaerat, quisnam sanctorum unquam ita definiverit notionem dei (*τίς τῶν ἁγίων νοῦν τὸ θεῖον ὡρίσατο;*). Quam enim alias de deo praedicare appellationem nullo modo dubitat (cf. de hom. op. c. 4. *νοῦς καὶ λόγος ἡ θεότης ἐστίν — —, οὐ πόρρω τούτων καὶ τὸ ἀνθρώπινον**), ei ab haeretico usurpatae haereticam sententiam subesse putat, quamobrem verba addit: *παρὰ ποίαις γραφαῖς ταὐτὸν εἶναι τῷ νῷ* (sc. humano) *τὸν θεὸν ἐδιδάχθημεν*; — cf. denique quae supra §. 2, 2. exposuimus.

## §. 10.

**Homo imagine dei h. e. rationali natura, quae propria ipsi est, divinorum bonorm particeps est.**

1. Homo ceteris in rebus necessitudine cum animalibus ligatus ratione insita propriam et ab omnibus reliquis alienam dignitatem nactus est. Itaque cum reliquis quidem rationabilibus creaturis comparatus ex corpore homo accipit definitionem (*ἡ ἐνσώματος φύσις* de oratione I, 713), ad hunc autem mundum respiciens qui hominis naturam definire vult, id notabit, quo homo a reliquis creaturis corpore praeditis differt, rationem (*νοῦν* c. Apoll. c. 22. 23. p. 178. sqq.). Quam hanc ob causam saepe philosophos secutus principem hominis partem ducemque (*ἡγεμονικὸν*) appellat (c. Apoll. p. 188 sq. et saepius).

2. Sunt autem multa huius praecipuae partis nomina. Quum sit intelligibilis atque intelligens, vocatur *πνεῦμα* (c.

*) Cf. in verba: faciamus hom. or. I, tom. I. p. 143, ubi Gen. 1, 26. sic explicatur: *δώσομεν αὐτῷ λόγου περιουσίαν.* Vide tamen dubitationes de duarum illarum orationum (tom. I, 139—67.) auctore infra p. 26. annot.

Apoll. 27. p. 188 sq.). Rationis autem sive mentis nomen (νοῦς) omnes facultates spirituales complectitur. Quamvis enim per se mens sit simplex (de hom. op. c. 11.), variae tamen eius facultates vel potius motus distinguuntur. Principalis vero mentis motus est cogitatio (διάνοια νοῦ κίνησίς ἐστι καὶ ἐνέργεια c. Apoll. c. 29. p. 196, vel etiam facultas quaedam mentis ex hoc motu orta: διάνοια νοῦ τι κίνημα ib. p. 176.). Haec autem duas quasi partes continet: a) cogitationem quae proprie sic dicitur, intellectum, sive contemplandi dignoscendique facultatem (τὸ θεωρητικόν τε καὶ διακριτικὸν ἴδιόν ἐστν τοῦ θεοειδοῦς τῆς ψυχῆς de an. et res. 222 A.), et b) voluntatem sive activam facultatem. Nam voluntas quoque motus cogitationis est ideoque mentis (προαίρεσις· προαιρεῖται ἡ διάνοια, διάνοια δὲ νοῦ τι κίνημα c. Apoll. 176.). Inde duo cogitationis attributa: est intelligens et activa (διάνοια, νοερὰ καὶ ποιητικὴ δύναμις de hom. op. 8).

3. Rationali hac natura imaginem dei ferente homo aptus est, qui divinis bonis omnibus fruatur. Ad hunc enim finem cognationem cum deo aliquam accepit, ut ad divina bona ut sibi convenientia animum intendere possit, sicut oculus per splendorem a natura acceptum luminis communionem adipiscitur per insitam vim ad se trahens id quod cognatum est. or. cat. 51 CD. Εἰ τοίνυν ἐπὶ τούτοις ὁ ἄνθρωπος εἰς γένεσιν ἔρχεται, ἐφ᾽ ᾧτε μέτοχος τῶν θείων ἀγαθῶν γενέσθαι (cf. supra p. 21), ἀναγκαίως τοιοῦτος κατασκευάζεται, ὡς ἐπιτηδείως πρὸς τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν ἔχειν. Καθάπερ γὰρ ὁ ὀφθαλμὸς διὰ τῆς ἐγκειμένης αὐτῷ φυσικῶς αὐγῆς ἐν κοινωνίᾳ τοῦ φωτὸς γίνεται, διὰ τῆς ἐμφύτου δυνάμεως τὸ συγγενὲς ἐφελκόμενος· οὕτως ἀναγκαῖον ἦν ἐγκραθῆναί τι τῇ ἀνθωπίνῃ φύσει συγγενὲς πρὸς τὸ θεῖον, ὡς ἂν διὰ τοῦ καταλλήλου πρὸς τὸ οἰκεῖον τὴν ἔφεσιν ἔχοι κ. τ. λ.*). Continetur igitur hac rationali natura deo cognata facultas deum recipiendi vel potestas vitam in spiritualibus et divinis bonis degendi. Haec autem revera cognata deo non esset, si nuda esset facultas, forma vacua quae a deo tantum impleretur. Contra ex iis quae §. 9, 4 exposuimus sequitur, ipsam a deo ita creatam esse, ut naturaliter omnium divinorum

---

*) Cf. eandem sententiam eadem similitudine expressam:

Wär nicht das Auge sonnenhaft,
Die Sonne könnt' es nie erblicken;
Läg nicht in uns des Gottes eig'ne Kraft,
Wie könnt' uns Göttliches entzücken!

Goethe, Werke III, 75.

h. e. spiritualium bonorum partem, ex. gr. vitam, rationem, sapientiam, in se contineret, eo quod intelligibilis sive spiritualis facta sit. *Οὐκοῦν ἐστιν ἐν ἡμῖν παντὸς μὲν καλοῦ ἰδέα, πᾶσα δὲ ἀρετὴ καὶ σοφία, καί πᾶν ὅτιπέρ ἐστι πρὸς τὸ κρεῖττον νοούμενον* de op. hom. c. 16. p. 86. Attamen quia intelligibilis hominis natura creata est, ad fontem eam semper recurrere oportet, ut se conservet et augeat.

Neque etiam ita res se habet, ut humana mens modo suas exerceat vires, modo novarum virium colligendarum causa ad deum spirituum patrem redeat, sed quum deus omnium spiritualium bonorum ipse sit fons ac plenitudo, omnis intelligibilis naturae vita (v. s. § 4, 2) in communione dei sita est, ita ut quotiescunque mens virtutes suas profert, dummodo non agat contra propriam naturam (v. i. § 18, 2), nihil nisi deum quaerat. Quamobrem hunc ad finem ait Gregorius menti hominis bona illa deo cognata esse insita, ut per unumquodque bonum cupidus sit homo ejus (sc. divini), quod his singulis cognatum et accomodatum est: *διὰ τοῦτο καὶ ζωῇ καὶ λόγῳ καὶ σοφίᾳ καὶ πᾶσι τοῖς θεοπρεπέσιν ἀγαθοῖς κατεκοσμήθη, ὡς ἂν δι' ἑκάστου τούτων πρὸς τὸ οἰκεῖον τὴν ἐπιθυμίαν ἔχοι*. or. cat. 52 A. cf. 53 A.: *ὁ γὰρ ἐπὶ μετουσίᾳ τῶν ἰδίων ἀγαθῶν ποιήσας τὸν ἄνθρωπον καὶ πάντων αὐτῷ τῶν καλῶν τὰς ἀφορμὰς ἐγκατασκευάσας κ. τ. λ.*

Hoc enim utrumque separari nequit: natura deo cognata atque spiritualis, quae in vita vera, ratione sapientia etc. versatur, et cupido quae omnia haec bona etiam atque etiam a fonte bonorum impetrare studet. Nam et bona illa ejusmodi sunt, ut quo quis majorem eorum partem nactus sit, eo majorem cupiat, et mens ipsa homini divinitus insita, si suam servat naturam, non potest non quaerere divina bona in iisque deum ipsum. Vitam deus tribuit menti hominis, sed haec est vita ejus, ex deo uno vitae fonte vires alere; mens ipsa ratio est, regia quaedam potestas, sed ita tantum naturae satisfacit, ut et imitetur deum, veram rationem (mens est *μίμημα τοῦ ὄντος νοῦ τε καὶ λόγου* op. 5.) et contemplando ipsum essentiae intelligibilis mare amplectatur; sapientiam et virtutem dedit deus, sed ex deo omnis sapientia repetenda est ab ipso homine et in imitatione dei omnis virtus continetur. Quid multa? Omnia dona quae divinam imaginem conficiunt, homini tradi non potuissent, nisi unum quoque donum liberi arbitrii accessisset similemque fecisset hominem supremo omnipotenti libereque agenti deo; (*τὸ ἐλεύθερον ἀνάγκης εἶναι καὶ μὴ ὑπεζεῦχθαί τινι φυσικῇ δυναστείᾳ, ἀλλ' αὐτεξούσιον πρὸς τὸ δοκοῦν ἔχειν τὴν γνώ-*

*μην· ἀδέσποτον γάρ τι χρῆμα ἡ ἀρετὴ καὶ ἑκούσιον, τὸ δὲ κατηναγκασμένον καὶ βεβιασμένον ἀρετὴ εἶναι οὐ δύναται* de hom. op. c. 16. p. 86 sq.). Quamvis igitur natura homini insit imago dei, non necessitate tamen naturae sed libero hominis assensu virtutes hujus imaginis excoluntur*) de virg. III, 149.

Tanta honorata dignitate mens humana secundum primitivam naturam in puritate, sine dubio, affectionum libertate, in beatitudine omnisque mali vacuitate versatur (de hom. op. c. 4.). Quamobrem Gregorius saepius pulcritudinem divinae hujus imaginis laudibus extollit (l. modo laud. et or. cat. 56 D.) hominemque ait secundo loco esse beatum, utpote qui ad imaginem dei verae beatitudinis formatus partem acceperit illius beatitudinis (de beatit. I, 764.). Et alio loco divinae gratiae admiratione plenus, quis me, inquit, inanimum vitae ac rationis participem fecit? quis hoc lutum ad imaginem divinae figurae formavit? (de orat. I, 716.).

Not. Quae modo exposuimus, eo omnia concurrunt, ut doceant imaginem dei nihil aliud esse in homine, nisi rationalem naturam et omnia dona quae hac natura continentur ab eaque acquiruntur. Atque ad hanc notionem imaginis reliquae quae passim apud Gregorium leguntur descriptiones facile reduci possunt, prae ceteris ea quam saepius profert, imaginem in summo in res creatas dominio conspici (v. infra §. 11, n. 6.); quae sententia, licet non primam atque praecipuam imaginis notionem contineat (ut Heynsius l. l. p. 129. putare videtur) magni tamen momenti est, si totam hominis

---

*) Huc spectat distinctio inter illud: ad imaginem, et: ad similitudinem (צלם et דמות Gen. 1, 26.) quam, si orationes illas in verba: faciamus hom. tom. I. p. 139 — 67. Nysseno adscriberemus, disertis quoque verbis ab ipso prolatam haberemus. In priore enim oratione (p. 150.) legitur: *τὸ μὲν κατ᾽ εἰκόνα ἔχεις ἐκ τοῦ λογικὸς εἶναι, καθ᾽ ὁμοίωσιν δὲ γίνῃ ἐκ τοῦ χρηστότητα ἀναλαβεῖν.* Quae sententia ab iis quae supra explicavimus, non multum abhorret. Jure autem Du Pin, nouv. bibl. t. II. p. 222 sq. cum Combefisio (Basil. recensitus I, 418.) aliisque, Garnier (praef. in tom. I. opp. Basil.), Tillem. Mém. tom. IX. p. 681 sqq., Fabric. bibl. graec. VIII, 71. ed. antiq. praesertim propter styli differentiam has homilias Gregorio abjudicaverunt, quibus equidem contra Oudini (script. eccl. I, 595.) et Heynsii (l. l. p. 47.) defensionem assentire haudquaquam dubito. (Alia argumenta vide prae ceteris l. l. Tillem.). Num Basilius sit auctor, quod nonnulli affirmaverunt (Du Pin l. l., Garnier, Fabric. l. l. 70.), Tillemont negavit, non nostrum est, hoc loco dijudicare.

conditionem respicis. — Variae autem eaeque singulares opiones de hac re proferuntur in libello qui inscribitur: de eo, quid sit ad imaginem etc. tom. II, p. 23 sqq. (non confundendus est hic libellus cum orationibus illis in verba: faciamus hom., de quibus modo egimus), ubi non tam id agitur, ut natura hominis illustretur, quam ut ex natura hominis trinitatis mysterium explicetur et notionibus communibus acceptius reddatur. Quam ob causam, postquam auctor libelli varias recensuit aliorum opiniones (in quibus eae sunt quas Gregorius saepius profert: principatus hominis, natura ejus intelligibilis etc.), ostenditque haec omnia quodamodo etiam angelis communia esse, profundius aliquid his verbis dei inesse contendit. Depingi enim in homine mysterium trinitatis. Idque vario modo explicatur, insertis etiam sententiis quae omnino cum deo animam comparant*). Sed valde dubito, num hic libellus a Gregorio scriptus sit. Etenim comparatio illa hominis cum sancta trinitate neque in libris ctr. Eun. neque in aliis ejus scriptis ubi de trinitate agit Gr. legitur, quod sane mireris, quum Gregorius in illis libris conferat quicquid ad illustrandam doctrinam aptum ipsi videbatur. Nonnullas praeterea sententias quarum alteras Gregorius in reliquis libris aperte comprobat, alteras sine dubitatione rejicit, hoc in libro ita afferuntur, acsi Gregorius ipse res dijudicare non auderet (Variae sententiae de imagine dei, variae de ortu animae). Hoc modo varias recitare aliorum sententias, vix ex more Nysseni esse videtur, qui simulatque aliorum oppiniones refert, ipse huc illuc rem tractat uniusque partem suscipit. Accedit quod p. 26. anima appellatur ingenita: *ἀγέννητός ἐστιν ἡ ψυχὴ καὶ ἀναίτιος*, quum Gregorius eam *γεννητὴν* vocet (de an. et res. 189. cf. §. 9.). Neque etiam voces *φεράλληλος* et *ἀλληλένδετος* ad exprimendam eam trium personarum divinarum rationem qua non ut partes distinguendae sunt sed propter unitatem essentiae propriarum personarum nomina altera ab altera recipiunt, a Gregorio ullo loco adhiberi memini. Atque revera hic liber primo, quod sciam, non sub Gregorii sed Anastasii Sinaitae nomine typis descriptus prodiit a Tarino Philocaliae adjunctus (Paris. 1618). Quo jure hoc factum et ab aliis comprobatum sit, equidem definire non ausim, neque est quod Fabricio repugnem, qui aetatis Nysseno inferioris notas vix inveniri putat in hoc libro. cf. Fabr. Bibl. graec. tom. IX, 331. (cf. VIII,

---

*) Totum libri argumentum proponit Roessler, Biblioth. der Kirchenväter, Thl. 7, p. 168 sqq.

149.) ed. antiq. et ed. Harl. tom. IX, 106. Sed ipsius Gregorii ingenium in hoc libello non agnosco.

## §. 11.

### Intelligibilis hominis natura cum sensibili arctissime sed incomprehensibili ratione conjuncta primum in hac conjunctione obtinet locum.

1. Quo magis extollitur hominis altera pars, eo difficilius est intelligere, quomodo hae tam diversae hominis partes inter se connexae sint. Attamen in ipsa hac conjunctione consilium dei creatoris positum est. Et res quoque ipsa nonnulla nos docet de societate corporis et animae.

2. Atque primum quidem mens hominis propter intelligibilem naturam certo corporis loco inclusa esse non potest, sed aequabiliter omnibus corporis partibus incomprehensibili ratione immixta neque vacuis corporis spatiis magis inest, neque carne impletis extruditur (de hom. op. c. 12.). Etenim sicut deus natura penitus a rebus creatis abhorrens in omnibus tamen rebus inesse creditur, sic anima natura simplici et invisibili non impeditur, quominus corporis crassitudini admixta sit (de an. et res. 196 C.—97 A.).

3. Non eadem autem ratio mentem cum omnibus corporis partibus connectit, sed specialis quaedam est affinitas mentis et sensuum, quorum auxilio destituta mens in corpore vivere non posset. Nam ut supra jam notavimus, sublimiores naturae animatae ordines proxime inferioribus tanquam fundamento vel vehiculo utuntur. Itaque rationalis quoque natura in hoc visibili mundo esse ac vivere non potest, nisi cum sensibus commixta: *τὸ λογικὸν οὐκ ἂν ἑτέρως γένοιτο ἐν σώματι, εἰ μὴ τῷ αἰσθητῷ συγκραθείη* de hom. op. 8. cf. de an. et res. 205. et supra §. 8. Est enim sensuum natura quasi media, purior parte carnali, cui nutriendi munus injunctum est, crassior autem anima rationali. Huic parti mediae sensuum actiones continenti, quae ipsa cum carne conjuncta est, utpote tenuiori lucisque simili se commiscet essentia rationalis (*εἶτα τις γίνεται πρὸς τὸ λεπτὸν καὶ φωτοειδὲς τῆς αἰσθητικῆς φύσεως ἡ τῆς νοερᾶς οὐσίας οἰκείωσις καὶ ἀνάκρασις* de hom. op. c. 8.).

Visa igitur per varios sensus nobis impressa excipit mens, natura quidem simplex, sed maximam perceptionum varietatem complectens, similia visa connectens, diversa disjungens, singula singulis cognitionis locis distribuens; quae quamquam per varios sensus varie agit, oculis videt, auribus audit etc., quin etiam diversas unius sensus perceptiones non confun-

dit, una tamen atque irrupta servatur. Quod ex eo praecipue cognoscimus, quod saepe, quoniam unius rei notitia ex variis nobis existat sensuum perceptionibus, revera ad unam cognitionem conjunguntur diversae sensuum impressiones (de hom. opif. 10. 11.). Neque enim sensus nos per se quicquam docerent, nisi vis rationalis per eos pervaderet suo instinctu ad ea quae vult commovens sensuum instrumenta (*ταῖς ἰδίαις ὁρμαῖς συγκινοῦσα πρὸς τὸ δοκοῦν τὰ ὀργανικὰ αἰσθητήρια* de an. et res. 189 B.). Mens ipsa est, quae proprie videt audit etc. (*τὸν νοῦν εἶναι τὸν ὁρῶντα καὶ νοῦν τὸν ἀκούοντα* ib. 190.). Nam mens sensibus ducta per sensus ea quoque cognoscendo percipit, quae ipsis sensibus non apparent. Scimus ex. gr. solem multo esse majorem quam appareat sensibus, quia mens ea quae videntur cogitando componens ex motu, temporis locique intervallis, atque ex causis defectionum veram colligit magnitudinem (de an. et res. 190.).

4. Nec vero minus quam per sensus cognoscit, per corporea instrumenta mens cogitata sua voluntatemque et ostendit et perficit. Sic, ut exemplum afferam, in exstruendis artificiosis machinis primum quidem contemplandi et perscrutandi vis excogitat et cogitatione praeformat opus, deinde vero eadem mens arte quae corporis instrumentis carere nequit efficit cogitata et per materiam ostendit (de an. et res. 192.).

5. Ex his jam cognoscitur, naturam intelligibilem in homine ita tenere primum locum, ut, quamvis alienigena sit et a natura visibili secundum essentiam abhorrens, simulac se intime conjunxerit cum terrena hominis parte, statim in eam dominetur. Atque tantum abest, ut hoc imperio inferior hominis natura vim patiatur, ut tunc demum ad perfectionem veniat et ut instrumentum artificiose paratum summo optimoque usui adhibeatur. Itaque etiam fieri non potest, quin, quamvis hominis natura animalis ejusdem sit generis quam reliquorum animalium, tamen, quia in homine instrumentum facta est rationis, ad hujus analogiam instituatur et mutetur: (*ἐπειδὴ τοίνυν λογικόν τι ζῶόν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, κατάλληλον ἔδει τῇ χρείᾳ τοῦ λόγου κατασκευασθῆναι τὸ τοῦ σώματος ὄργανον* de hom. op. c. 8.).

Exempla sunt: prae ceteris artificiosa vocis structura, sine qua mens motus suos per linguam humanam patefacere non posset, et manuum instrumenta ad cibum parandum homini addita, ut os et lingua negotio cibum carpendi liberata sermoni edendo adaptari possint (de hom. op. c. 8. 9.). Praetera figura hominis erecta vultusque ad coelum se tollens magni sunt momenti (de hom. op. c. 8. 9. orat. 2. de pauper. amand. tom. II, 51.).

6. Nec vero cum praestantiore hominis conditione hoc pugnat, quod nudus atque inermis nascitur multoque imbecillior multis animalibus; id enim ipsum incitamentum est mentis, ut reliqua sibi subjiciens dominationem suam exerceat (de hom. op. ib.) quam propter divinae imaginis dignitatem non in proprium tantum corpus sed in universam visibilem creaturam sibi exsequendam esse jure persuasum habet, quia divinum consilium est, ut per hominem omnia visibilia cum intelligibili conjungantur (de hom. op. p. 52. et multis aliis locis cf. Heyns. l. l. p. 129. not. 5. et p. 130 sq.).

## §. 12.

### Intelligibilis hominis natura ex intima quam cum sensibili init societate facultates quasdam et qualitates recipit proprie a se alienas.

1. Tres animatae vitae ordines ideoque tria animarum genera supra (§. 8.) distinximus, quarum suprema, anima hominis, sine inferioribus esse non possit. Habemus igitur in homine quasi tres animas: rationalem et brutam et ut ita dicam vegetativam. Ubi autem ita dominatur rationalis natura, ut omnia reliqua usui ejus subjiciantur, reliquae hominis partes sui juris esse desinunt. Quamobrem quas loco supra citato (de hom. op. c. 8 sqq.) animas appellaverat Gregorius, eas accuratius facultates vivendi (*δυνάμεις ζωτικάς*) appellandas esse censet (ib. 8. cf. c. 14. 15.).

Atque prima quidem illa nutriendi vis quae quodammodo plantarum anima est neque in animalibus neque in homine ita per se subsistit, ut animae nomen obtinere possit. Quum enim in plantis facultas illa nutriendi quasi centrum vel summam vitae contineat et jure quodam anima appelletur, ubi primum ut in animalibus cum altiore vitae animatae genere conjuncta est, huic inserviens facultas tantum ipsius animae animalis fit. Itaque nunquam quatuor homini partes tribuuntur (anima rationalis, animalis, nutriens, corpus), sed tres tantum: mens sive ratio, anima (animalis), corpus . c. Apoll. 48. p. 254. et de hom. op. c. 8., ubi ad verba Pauli (1 Thess. 5, 23.) haec notat: *ἀντὶ τοῦ θρεπτικοῦ μέρους**) *τὸ σῶμα*

*) Hoc loco ipsi corpori tribuitur, quod antea animae illi vegetativae ut proprium munus adscribebatur: nec tamen sine jure diximus, in animalibus et homine animam animalem hoc opus suscipere, quia corpus inanimatum neque alitur neque crescit (v. s. § 8, 2). Gregorium hoc loco non corpori secundum propriam naturam materialem sed corpori animato illud negotium tribuere et res ipsa docet, et verba statim sequentia: *ὡςαύτως* (respicit Gr.

*λέγει, το δὲ αἰσθητικὸν τῇ ψυχῇ διασημαίνει, τὸ νοερὸν δὲ τῷ πνεύματι κ. τ. λ.* cf. c. Apoll. p. 249—51.

Sed plerumque ne hanc quidem partitionem defendit Gregorius. Etenim saepius in libro contra Appollinarium hanc divisionem tripartitam, quam Appollinaris tuetur et haereticae suae de Christo sententiae subjicit, aperte impugnat (cf. c. 35.), loco autem modo citato c. 48. p. 254. non probat eam, sed concedit tantum, ita dividi posse hominis naturam. Ait enim: *δεδόσθω τοῦτο, κἂν μὴ κατ᾽ ἀνάγκην ἡμᾶς ὁ λόγος τῇ συγκαταθέσει προςάγηται.*

Neque vero hanc tantum ob causam Gregorius sententiam multis graecae linguae patribus probatam adoritur, ut adminiculum eripiat hosti sagaci, sed in plerisque locis, ubi de natura hominis loquitur, unam tantum animam eandemque rationalem distinguit a corporea natura. Huc pertinent quae supra § 9, 1. 2. narravimus, nec minus quae § 11. ad definiendam rationem quae inter mentem et sensus corporisque instrumenta intercedat allata sunt.

Sicut igitur, ubi accedit anima animalis, humilior illa nutriendi vis nomen animae non amplius retinet, eodem modo in homine rationalis natura illam quoque animam rationis expertem dignitate suprema exuens ipsa ut sola vera anima vitam hominis continet et ad suum usum duplicem illam vivendi facultatem adhibet, vel potius eo quod cum corpore coalescit ipsa fit anima vegetativa, et eo quod cum sensibus cohaeret ipsa animae sensualis partes suscipit. Quam ob causam Gr. de hom. op. 14. 15. solam ait intelligentem animam vere animam esse, reliquas vivendi facultates propria subsistentia carentes: *οὐ τρεῖς συγκεκροτῆσθαι ψυχὰς ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ συγκρίματι ἐν ἰδίαις περιγραφαὶς θεωρουμένας, — ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἀληθής τε καὶ τελεία ψυχὴ μία τῇ φύσει ἐστὶν, ἡ νοερά τε καὶ ἄϋλος, ἡ διὰ τῶν αἰσθήσεων τῇ ὑλικῇ καταμιγνυμένη φύσει* (ib. c. 14). Itaque hominem mortuum adspiciens queritur causam vitalem (*τὸ ζωτικὸν αἴτιον*) eva-

---

ad 1. Thess. 5, 23) *καὶ τὸν γραμματέα παιδεύει ὁ κύριος* (Marc. 12, 30). *καὶ γὰρ ἐνταῦθα τὴν αὐτὴν δοκεῖ μοι διαφορὰν ἑρμηνεύειν ὁ λόγος, τὴν μὲν σωματικωτέραν κατάστασιν καρδίαν εἰπὼν, ψυχὴν δὲ τὴν μέσην, διάνοιαν δὲ τὴν ὑψηλοτέραν φύσιν, τὴν νοεράν τε καὶ ποιητικὴν δύναμιν· ὅθεν καὶ τρεῖς διαφορὰς προαιρέσεως ὁ ἀπόστολος οἶδεν* (sc. *σαρκικὴν, ψυχικὴν, πνευματικὴν*) *κ. τ. λ.* Gr. distinguit hoc loco actiones corporis animati (hanc ob causam etiam de carnali quadam voluntate loquitur) et actiones animae per se spectatae (*inferiores quae dicuntur animae facultates*) et actiones mentis.

nuisse, ita ut uno verbo significet, quicquid praeter visibilem naturam in homine vivit (de a. et res. 182 D. cf. *τὸ ζωοποιὸν αἴτιον* 183 C.). Et similiter Gregorius de an. et res. 197 A—C. animam tantum simplicem invisibilemque opponit corporis crassitudini dicitque, inesse tamen vitalem animae vim corpori (quamvis abhorrentem a corporis natura) atque vi sua vitali elementa colligare, vel unicuique eorum vivendi immittere facultatem (anima est *τὸ συνδέον αὐτὰ [τὰ στοιχεῖα] διὰ τῆς ζωτικῆς ἐνεργείας·* et paullo post animam appellat *ἑκάστῳ [τῶν στοιχείων] τὴν ζωτικὴν δύναμιν ἐνιεῖσαν*). Hanc autem animam nullam aliam esse nisi rationalem sive mentem vel ex eo apparet, quod in locis laudatis cum deo cujus imago in hac quoque re sit comparatur.*)

Cum his bene concinit definitio quam legimus de an. et res. 189: *ψυχή ἐστιν οὐσία γεννητή, οὐσία ζῶσα, νοερά, σώματι ὀργανικῷ καὶ αἰσθητικῷ δύναμιν ζωτικὴν καὶ τῶν αἰσθητῶν ἀντιληπτικὴν δι ἑαυτῆς ἐνιεῖσα.* Atque totius hujus interioris hominis (sic enim intelligibilem hominis naturam Pauli verbis usus appellat c. Apoll. c. 23. de mort. III, 624) aptissimum videtur esse nomen animae rationalis (*ψυχη λογικὴ* adv. Apoll. 29. p. 196. et saepe), quippe quod et naturam rationalem et vim vitalem corpus continentem exprimat. Quodsi una tantum est interior hominis natura, res ita fert, ut promiscue interdum ponantur voces *ψυχὴ* (vim vitalem significans — *ψυχοῦται τὰ καθ' ἕκαστον* sc. *τῶν στοιχείων* de an. et res. 197) et *νοῦς* sive *διάνοια.* Sic adv. Apoll. 30. p. 198 sq. quum dixisset Gregorius, mortem esse disjunctionem animae et corporis, animam autem ipsam morte in partes dissolvi non posse, et paullo ante, rationem (*νοῦν*) in morte nullum pati detrimentum (manere *ἀπαθῆ*), mox sequitur, corpus quidem, quum mors intrasset, et ab anima disjungi et ipsum in elementa resolvi, animam vero et rationem (*ψυχὴ καὶ διάνοια*) a se separari non posse. Quum enim hoc loco singularis qui dicitur numerus — *οὐ δύναται* — legatur, vox unam notionem exhibere videtur. Si vero ita intelligis verba, acsi diceret Gregorius, animam morte a ratione, rationem ab anima separari non posse, habes inseparabilem duarum illarum facultatum unitatem quam exposuimus. At-

*) Dissimulare non possum, in libro supra rejecto (de eo quid sit ad imagin.) inveniri locum persimilem eorum quae in textu attuli. Ibi anima sic depingitur: *ζωοποιὸς καὶ συστατικὴ καὶ προνοητικὴ ἡ ψυχὴ ὑπάρχει τῆς τετραστοίχου τοῦ σώματος φύσεως, κατ' εἰκόνα θεοῦ τοῦ προνοητοῦ πάσης τῆς τετραπεράτου καὶ τῆς ἄνω κτίσεως* II, 25. cf. ib. 33.

que eandem rem illustrant verba quae eodem loco (c. Apoll. c 36.) leguntur, mentem in morte apud animam manere (νοῦς τῇ ψυχῇ παραμένει), h. e. mentem vivendi facultatem retinere. Id tantum animadvertendum est, quod, quum alias anima ea vis sit quae corpori vitam inspirat, mentis autem intelligibis natura necessario vitam in se ipsa habere credatur, nostro loco quasi logice distinguatur mens quatenus intelligit a mente quatenus vitam habet h. e. ab anima sive vi vitali.

2. Quum vero rationalis hominis natura tam arcte cum sensibus et per eos cum carne conjuncta sit, ut ipsa in homine animae animalis partes agat, ipsius quoque mentis agitatio dependet a bona sensuum reliquorumque corporis instrumentorum valetudine. In sanis enim solum membris vim suam exercere potest mens, quae actiones suas variae singulorum instrumentorum naturae accomodat per varia varie agens, in aegrotis autem membris quae motus ejus artificiosos recipere nequeunt prorsus inefficax manet de hom. op. 12. Eandem ob causam simul cum sensibus quiescit mens in somno, in quo ea sola animae pars viget quae nutriendi vim habet praestantioribus animae viribus dormientibus (προτιμοτέραι δυνάμεις, αἱ κατὰ τὸν νοῦν καὶ τὴν αἴσθησιν ἐνεργείαι). Quamquam, quum prorsus dissolvi non possit naturalis unitas animae rationalis cum reliquis partibus, etiam in somno ab anima nutriente non sine quadam affectione animae rationalis effinguntur somniatoriae imagines tanquam imitationes actionum mentis (de hom. op. 13.).

3. Quamvis igitur una sit in homine natura intelligibilis, plures tamen propter ejus insertionem in corpoream naturam distinguuntur facultates, quae licet accipiant vitam vimque agendi ab ipsa humana anima, tam firmiter corporis naturae inhaerent, ut etiam quiescente ipsa anima vigeant. Unde fit, ut et hae facultates inferiores et id quod humanae naturae proprium est, ratio, partes animae vocentur (v. s. n. 2. et adv. Apoll. c. 27. p. 190: ἴδιον τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς τὸ νοερόν ἐστι μέρος).

4. Jure haec verba propriam humanae animae partem distinguunt a reliquis. Animus enim hominis ad ea quae ex divina imagine derivantur et intelligibilem ejus naturam constituunt propter conjunctionem cum corpore extrinsecus quaedam recipit, quae aliena quidem sunt a propria mentis indole sed ita necessaria, ut iis sublatis humana natura ex contrariis partibus conflata consistere nequeat*). Quum enim

*) Cf. de an. et res. 204 D. et 205 A., ubi distinguuntur

homo omnes vitae species (quas in plantis et animalibus videmus) complectatur, necessario inde animae ea admiscentur quae vitae plantarum et animalium propria sunt. Haec est origo appetituum variorumque naturae animalis motuum. Vis illa vitalis, quam in plantis ea videmus attrahentem quae ad vitam materialem necessaria sunt, quum in homine agat, appetitus est, et eodem modo naturales animalium impetus animae rationali immiscentur. *ὥςπερ τὸ ἐφελκτικὸν τῶν ἀναγκαίων πρὸς τὴν ὑλικὴν ζωὴν ἡ φύσις ἔχει, ὅπερ ἐν ἡμῖς γενόμενον ὄρεξις λέγεται· τοῦτο δέ φαμεν τοῦ φυτικοῦ τῆς ζωῆς εἴδους εἶναι, ἐπειδὴ καὶ ἐν ἐκείνοις ἔστιν ἰδεῖν οἷόν τινας ὁρμὰς φυσικῶς ἐνεργουμένας ἐν τῷ πληροῦσθαί τε τοῦ οἰκείου καὶ ὀργᾷν πρὸς τὴν ἔκφυσιν· οὕτως καὶ ὅσα τῆς ἀλόγου φύσεώς ἐςτιν ἴδια ταῦτα τῷ νοερῷ τῆς ψυχῆς κατεμίχθη* de an. et res. 206 A. Varii sunt ejusmodi impetus (*ὁρμαὶ* de an. et res. 207 B.): *ὄρεξις, θυμὸς, φόβος, ἐπιθυμητικὴ ὅρμη, ἐπιθυμία, ἡδονὴ* (de an. et res. 206. de virginit. III, p. 162). Plerumque tamen Gregorius Platonem secutus haec omnia duobus comprehendit, cupiditate et instinctu animoso (*ἐπιθυμία* et *θυμός*). Accedunt igitur ad primam rationalemque animae naturam (*τὸ λογικὸν*) hae duae partes: *τὸ ἐπιθυμητικὸν* et *τὸ θυμοειδὲς* sive *θυμικόν* (cf. ep. ad Letoj. II, 115 sqq. de an. et res. 206 sqq.), quas iterum uno verbo saepe comprehendit, affectus (*πάθη*) eas appellans.

## §. 13.

**Motus animi naturales ex societate corporis orti, dummmodo a ratione gubernentur, neque divinam hominis naturam perdunt neque consilium dei quod in creando homine sibi proposuit irritum faciunt, sed ipsi instrumenta fiunt ad consilia divina perficienda.**

1. Illos impetus animi ad naturam hominis intelligibilem proprie non pertinere annotavimus. Ex parte irrationali mens eos attraxit, ab iisque magna perturbatione afficitur. Quae enim in vita animalium actiones naturae sese conservantis sunt, eae ad humanam translatae vitam affectus fiunt: *οἷς γὰρ ἡ ἄλογος ζωὴ πρὸς συντήρησιν ἑαυτῆς ἠσφαλίσθη, ταῦτα πρὸς τὸν ἀνθρώπινον μετενεχθέντα βίον, πάθη ἐγένετο* (de hom. op. c. 18). At nonne hac re divina imago perturbatur? Nam rationali naturae contrarios esse hos motus ex eo constat, quod ratio pugnat adversus eos idque agit, ut

---

quae animae propria (*οἰκεῖα*) sunt (cf. §§. 9. et 10.) quaeque *ἔξωθεν ἐπιγεγενῆσθαι* dicuntur (cf. infra §. 13. p. 40. not 2.).

se ab iis quam maxime separet*), quod fieri non posset, si illi affectus ex natura nobis essent, nam contra ipsam naturam anima non pugnat neque potest pugnare.

Sunt igitur illi affectus naturae (*πάθη*), non ad ejus essentiam pertinent (*οὐσία*). Attamen propter intimam corporis cum anima conjunctionem in ipsam animam hominis irruerunt, nullo modo intactam eam reliquerunt, sed jure ipsius animae motus appellantur (*ψυχῆς κινήματα* de an. et res. 206 C. 205 A. v. infr. §. 15, 1.). Profecto anima vim patitur ab his affectibus (*παθῶν*) quos verrucas potius naturae quam actiones se decentes esse censet (de an. et res. 201 sqq.).

2. Attamen haec restringenda sunt. Quamvis enim negare non possimus, humiliorem quam reliquarum naturarum intelligibilium esse statum hominis huic corpori alligati (v. infr. §. 14.), non tamen necessario rationalis naturae dignitas affectibus illis ex corpore ortis deletur. Res enim ita se habet:

a) Soli rationi secundum divinum institutum regia debetur in homine potestas (de hom. op. 13.), quae non in facultate solum sentiendi agendique (§. 11, 3. 5.) secundum naturam unicuique menti contingente cernitur, sed etiam ipsum bonum atque virtutis plenum usum liberi arbitrii comprehendit. Nam mens est dei imago; haec autem imago non otioso tantum divinorum bonorum fructu continetur, sed ejusmodi sunt haec bona, quae virtutibus exerceri debeant (§. 10). Id autem fit, quum naturam mens sibi subditam imaginem sui faciat tradatque ipsi vel exerceat per ipsam illa bona, quae a fonte boni, deo, acceperit. Corporea natura, si recte munere suo fungitur mens, imago fit imaginis dei: *ἡ φύσις ἡ ὑπὸ τοῦ νοῦ συνεχομένη καθάπερ τις εἰκὼν εἰκόνος ἐστίν* de hom. op. c. 12.

b) Itaque ethicae mentis actiones, quae per naturam organicam perficiuntur justo tunc modo fiunt, quum corpus sequatur mentem quae ipsa deum sequitur; quum mens antecedat ratione eligens bonum, natura autem corporea vestigia ejus premat: *ὁ νοῦς λόγῳ καὶ οὐχὶ πάθει τὸ λυσιτελές προαιρούμενος· ἡ δὲ φύσις κατ᾿ ἴχνος ἕπεται τῷ προκαθηγουμένῳ* (de hom. op. 14). Neque unquam hunc ordinem invertere licet homini, etiamsi extrinsecus et per corpus agendi incitamenta accipiat. Sicut enim per sensus quidem mens visa accipit, sed propria tantum cogitatione ea in cognitionem transformat, ita etiam per visa a sensibus accepta impetus quidem excitantur, ipsae autem mentis actiones non perficiuntur, nisi accedat mentis motus considerans et affirmans vel negans,

---

*) Cf. Möhler, Athanasius d. Gr. p. 135.

quo eligantur et ad effectum perducantur quae homini placeant.

c) Quae quum ita sint, non necessario mens regitur a carnis affectionibus, sed ipsa potius caro instrumentum fit liberi arbitrii: *ἡ σὰρξ ὄργανόν ἐστι τῆς προαιρέσεως τῇ ὁρμῇ τῆς διανοίας ἐκκείμενον**), *πρὸς ὅπερ ἂν ὁ κινῶν ἄγῃ πρὸς τοῦτο μετατιθέμενον· ἡ δὲ προαίρεσις οὐδὲν ἕτερον εἰ μὴ νοῦς τίς ἐστι καὶ πρός τι διάθεσις* adv. Apollin. c. 41. p. 230. Hoc liberum arbitrium in primis maximeque necessariis bonis est, quae hominis superior et ad dei imaginem formata natura continet (cf. §. 10). Quo sublato ipsa imago dei, quae virtutem cum sapientia conjunctam (§. 10, 3. adv. Apoll. c. 23. p. 176.) profert, simul tollitur (de hom. op. 16. p. 86.) Virtus enim voluntatis libere agentis opus est (*προαιρέσεως κατόρθωμα* adv. Apoll. 41. p. 230).

3. Attamen si ipsam liberi arbitrii naturam inspicimus, eadem difficultas quam solvere studebamus major recurrere videtur. Concedimus, mentem non ex naturae necessitate eo trahi, quo impetus ex carnali natura orti contendant, sed ad unamquamque actionem morálem perficiendam liberae mentis opus esse assensione. Sed homo natura est mutabilis (*τρεπτός*), quippe qui ex nihilo creatus inde ab hoc ipso initio mutationi subjectus sit (de hom. op. c. 16. p. 87). Itaque jam in ipso dono libertatis simul maximum est periculum desciscendi a vero bono (§. 17, 3). Quid vero, si semper accedunt carnis incitamenta! Nonne necessario, etiamsi non sine voluntatis assensu, mens impetus carnis sequetur? Impia est haec sententia. Esset enim ipse creator in causa mali, si per conjunctionem naturae intelligibilis cum corporea necessitates peccandi indisset creaturae de an. et res. 206 C**). Neque enim mens humana, quamvis sit mutabilis, in mero boni malique aequilibrio posita est, ita ut cuivis incitamento extrinsecus irruenti non possit non cedere. Sane non ex propria quidem natura sive essentia bonum continet; sed hanc ipsam ob causam, ut supra exposuimus §. 10, imago dei menti inhaeret, ut ex communione dei iterum iterumque bonum sibi quaerat***). Naturalis igitur propensio mentis ad deum om-

---

*) Ita enim legendum esse, non *ἐγκείμενον*, recte Zacagnium ad l. l. animadvertere censeo.

**) *ἦ γὰρ ἂν ὁ δημιουργὸς τῶν κακῶν τὴν αἰτίαν ἔχοι, εἰ ἐκεῖθεν αἱ τῶν πλημμελημάτων ἦσαν ἀνάγκαι συγκαταβεβλημέναι τῇ φύσει.*

***) *ἐπὶ τῆς τρεπτῆς φύσεως τῆς διὰ μετουσίας ἐν τῷ*

niaque bona quae in eo cernuntur tendit, quibus altum hominis desiderium expleatur. Quod ubi fit (est autem haec propria mentis natura, divinae pulchritudinis imaginem referre), perfici potest quod supra propositum est, ut mens hominis eandem quam ipsa habet imaginem corpori quoque informet. Ratio enim divina pulchritudine ornata deique intuitu corroborata viribus non caret, quibus ea quae extrinsesus nobis adjuncta sunt gubernare possit. Quod etiam per aenigma indicatur verbis dei Gen. 1, 26*). Non ficta igitur sed vera est illa animi libertas. Neque enim per se mali sunt illi impetus inferioris naturae, sed secundum usum rationis liberum exercentis arbitrium instrumenta fiunt vel virtutis vel vitii: *τῇ ποιᾷ χρήσει τῆς προαιρέσεως ἢ ἀρετῆς ἢ κακίας ὄργανα τὰ τοιαῦτα τῆς ψυχῆς κινήματα γίνεται* de an. et res. 206 C. Artifex ex ferro prout lubet gladium aut rusticum instrumentum fabricari potest (ib.). Ita etiam illi motus animae materiem praebent et bonarum et malarum actionum. Quamobrem in confinio**) quodam eos esse sitos ait Gregorius

---

*ἀγαθῷ γινομένης* (h. e. in omnibus creatis naturis cf. §. 3. §. 4, 2. §. 10, 3.) *ἀναγκαία ἐστὶν ἡ πρὸς θεὸν ὑποταγὴ, διὰ τὸ ἐκεῖθεν γίνεσθαι τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν τὴν κοινωνίαν* t. II, 8.

*) *εἰ μὲν ὁ λόγος, ὃ δὴ τῆς φύσεως ἡμῶν ἐστὶν ἐξαίρετον, τῶν ἔξωθεν ἡμῖν ἐπεισκριθέντων* (cf. not. seq.) *τὴν ἡγεμονίαν ἔχοι, καθὼς καὶ δι' αἰνίγματος ὁ τῆς γραφῆς παρεδήλωσε λόγος, ἄρχειν ἐγκελευόμενος πάντων τῶν ἀλόγων κ. τ. λ.*

**) De an. et res. 204 D. sq. Totam sententiam, quae bene ostendit, qualem Gregorius rationem inter propriam humanae mentis naturam et illos animae motus interesse censuerit, ad verbum describam: *φαμὲν γὰρ τῆς ψυχῆς τὴν μὲν θεωρητικήν τε καὶ διακριτικὴν καὶ τῶν ὄντων ἐποπτικὴν δύναμιν οἰκείαν εἶναι καὶ κατὰ φύσιν αὐτῇ καὶ τῆς θεοειδοῦς χάριτος διὰ τούτων σώζειν ἐν ἑαυτῇ τὴν εἰκόνα. Ἐπεὶ καὶ τὸ θεῖον, ὅ τί ποτε κατὰ τὴν φύσιν ἐστὶν, ἐν τούτοις ὁ λογισμὸς εἶναι στοχάζεται, ἐν τῷ ἐφορᾷν τε τὰ πάντα καὶ διακρίνειν τὸ καλὸν ἀπὸ τοῦ χείρονος· ὅσα δὲ τῆς ψυχῆς ἐν μεθορίῳ κεῖται πρὸς ἑκάτερον τῶν ἐναντίων ἐπιῤῥεπῶς κατὰ τὴν ἰδίαν ἔχοντα φύσιν, ὧν ἡ ποιὰ χρῆσις ἢ πρὸς τὸ καλὸν ἢ πρὸς τὸ ἐναντίον ἄγει τὴν ἔκβασιν, οἷον τὸν θυμὸν ἢ τὸν φόβον, ἢ εἴ τι τοιοῦτον τῶν ἐν τῇ ψυχῇ κινημάτων ἐστὶν, ὧν ἄνευ οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνην θεωρηθῆναι φύσιν· ταῦτα ἔξωθεν ἐπιγεγενῆσθαι αὐτῇ λογιζόμεθα διὰ τὸ τῷ ἀρχετύπῳ κάλλει* (i. e. deo) *μηδένα τοιοῦτον ἐνθεωρηθῆναι χαρακτῆρα.* Verba *ὅσα δὲ τῆς ψυχῆς κ. τ. λ.* Krabingerus minus accurate vertit: quaecunque

ad alterutrum ex contrariis (bonum vel malum) propensos, prout usus eos adhibeat. Cf. praeter locum in annotatione descriptum ep. ad Letoj. II, 115 sq. ubi fusius duplicem hunc usum exponit*) et de mort. III, 637.

4. Itaque fieri potest, ut, quum mens dei voluntatem suamque sequuta naturam juste motibus animae inferioribus (qui vocantur *τὸ θυμοειδὲς* et *τὸ ἐπιθυμητικὸν*) utatur, ex metu, ut exempla afferam, nascatur obedientia, ex ira fortitudo, ex timiditate cautio, cupiditatis autem impetus divinam nobis et immortalem procreet voluptatem**) (de an. et res. 206 sq.). Revera igitur hac via corpus in quo agunt illi motus imago fit imaginis dei, quum sublimitate rationis omnes animae impetus quasi sursum eleventur atque transformentur in illam pulchritudinem quae in ipsa dei imagine conspicitur, de hom. op. 18.: *εἰς ἀρετῆς εἶδος ἕκαστον τούτων ἀντιμεθίσταται. — — πᾶν τὸ τοιοῦτον κίνημα τῷ ὑψηλῷ τῆς διανοίας συνεπαρόμενον τῷ κατὰ τὴν θείαν εἰκόνα κάλλει συσχηματίζεται.* Quod qui perficit propriam et motuum animae et ipsius corporis excolit naturam (nam omnia a deo creata bona sunt), qui eos ad malum adhibet pervertit naturam usumque eorum contra id quod decet (*ὑπαλλάσσει παρὰ τὸ δέον*) de virgin. III, 162. Mentis autem sobriae (*σωφροσύνης*) hoc est signum et opus: *ἡ πάντων τῶν ψυχικῶν κινημάτων μετὰ σοφίας καὶ φρονήσεως εὔτακτος οἰκονομία.* ib. 163.

5. Denique tantum abest, ut affectus naturales hominem necessario a fine ipsi proposito abstrahant, ut his deletis homo officio suo stare non posset. Nam rationalis quidem natura si in se ipsa esset ac viveret, externi cujusdam incitamenti non indigeret ad divina bona appetenda, mala aspernanda, quoniam vero cum sensibus et corpore conjuncta est et invisibilis natura per visibilem agit, hoc onere quasi de-

---

autem in animae confinio posita sunt etc., quum potius jungenda sint verba *ὅσα τῆς ψυχῆς*, „quae partes vel facultates animae,“ et verba *ἐν μεθορίῳ* explicetur sequentibus: *πρὸς ἑκάτερον — φύσιν.* Non enim opponuntur quae in anima sunt quaeque in confinio animae, sed in ipsa anima distinguuntur ea quae propria ei sunt divinamque referunt imaginem ideoque secundum naturam, licet non secundum essentiam, bona sunt (§. 1, 2. §. 10, 3.), — et ea quae extrinsecus illata ancipitia sunt.

*) Quo sensu hoc loco rationali animae parti non minus quam inferioribus partibus duplex (ad malum bonumque) adscribatur usus, infra elucebit.

**) *τῆς ἐπιθυμητικῆς ὁρμῆς τὴν θείαν τε καὶ ἀκήρατον ἡμῖν ἡδονὴν προξενούσης.*

pressa cupiditate quadam carere non potest, qua totus homo excitetur atque evehatur ad societatem cum rebus coelestibus ineundam. Quamobrem monet Gregorius, ne, ut in parabola est, cum lolio evellatur bonum semen; *εἰ γὰρ*, inquit, *τοῦτο πάθοι ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, τί ἔστι τὸ ἐπαῖρον ἡμᾶς πρὸς τὴν τῶν οὐρανίων συνάφειαν; ἢ τῆς ἀγάπης ἀφαιρεθείσης, τίνι τρόπῳ πρὸς τὸ θεῖον συναφθησόμεθα; τοῦ δὲ θύμου κατασβεσθέντος, ποῖον ὅπλον κατὰ τοῦ προςπαλαίοντος ἕξομεν;* de an. et res. 208 D. Ipsa terra h. e. cor nostrum ratione insita aliud germen arefacere, aliud frugiferum reddere debet. Necessarii igitur homini sunt ejusmodi impetus naturales ad virtutem efficiendam, instrumenta rationis, dummodo homo, i. e. mens, ea in se recipiat, nec ipse in illis sit, dummodo ipse regiam retineat potestatem (de an. et res. 208 sq.).

§. 14.

Sed tamen neque affectus proprie sic dicti sive perturbationes animi, neque mors cum reliquis miseriis in prima puraque hominis natura erat.

1. Quae hucusque exposuimus intimam veramque ostendunt naturarum in homine copulationem. Sed quum in hac conjunctione intelligibilis naturae cum sensibili consilium dei creatoris positum sit, huic autem consilio neque si divinae mentis splendor obscuratur et extinguitur a tenebrosa corporis naturaeque animalis mole, neque si corporea hominis natura iis privatur facultatibus quae necessario ad corpus pertinent, revera satisfieri possit, — hoc utrumque ita reconciliandum est, ut neque vere corporeae hominis naturae aliquid detrahatur, neque quidquam diviniore hominis natura prorsus indignum corpori tribuatur. Quod si in paragraphis antecedentibus ita hominis naturam depinximus, ut de corporis intimaeque ejus cum anima conjunctionis veritate dubitari non possit, periculum est, ne in alterum incurrentes errorem eximium sublimemque hominis statum laedamus. Ait enim Gregorius, hominem esse *ἀπαθῆ τὴν φύσιν* orat. cat. 56 D., et ubi hominis tristem conditionem qualis nunc (post lapsum) est lugens de primario hominis statu loquitur, quaestioni: *ποῦ τῆς ψυχῆς τὸ θεοειδές*; alteram adjungit: *ποῦ ἡ ἀπάθεια τοῦ σώματος*; denique utramque partem quodammodo complectens addit: *ποῦ τῆς ζωῆς τὸ ἀΐδιον*; or. cat. 52 C.

2, Qualis autem est illa *ἀπάθεια*? Quum vox *πάθος* eum omnino significet hominis statum, quo patitur aliquid malum vel saltem a propria natura alienum, sive vi aliqua externa afficitur, primum illa *ἀπάθεια* libertatem continet a malis variis corpus hominis vitamque irruentibus ideoque etiam

ab ejusmodi animi motibus, qui ex illis miseriis homini oriuntur. Hi enim vocantur *πάθη*, quia in iis mens humana per corporis naturam vim aliquam patitur, quamquam hoc ipsi menti vitio haudquaquam vertatur. Ejusmodi sunt doloris motus, timor etc. Haec notio *πάθους*, secundum quam dominus quoque noster a passionibus liber non erat, ex multis locis Gregorii cognosci potest. cf. adv. Apoll. 32, p. 204.

3. Si vero etiam ejusmodi in rebus indigna hominis passio animadvertitur, quae purae ejus naturae tribui non potest, multo magis abhorrent a vera hominis natura perturbationes animi vitiosae. Nam affectus quidem naturales qui certo quodam sensu *πάθη* dicuntur (de an. et res. 206.), necessario cum hominis corpore cohaerere supra monstravimus. Quod autem hujusmodi impetus naturae revera passiones fiant, quum ratio frenum amittit trahiturque illuc quo commotio irrationalis illorum motuum ducit (de an. et res. 207 A.), haec est servitus homine rationali plane indigna. Quam arcte autem omnia illa mala in quibus nunc versatur hominum miserrima vita cohaereant cum perturbationibus vitiosis, infra explicabitur. Ex peccato enim in affectibus dominante mala hominis conditio secuta est.

4. His igitur duobus, affectu vitioso et malo ipsam naturam perdente Gregorius statum hominis passioni, ut sic dixerim, obnoxium comprehendit (cf orat. cat. 67 D. *ἡδονή* et *φθορά*) *), atque *ὠκύμορον, ἐμπαθές, ἐπίκηρον, πρὸς πᾶσαν παθημάτων ἰδέαν κατά τε ψυχὴν καὶ σῶμα ἐπιτήδειον* (or. cat. 52 C. D.) eum esse confirmat. Quum autem servitium illud animae quo affectibus subjecta a deo separatur, nihil sit nisi mors animae (de infant. III. 327. et al. l. v. s. §. 4, 2.), nec minus in morte corporis summa et finis omnium illorum malorum naturam corrumpentium (de orat. I, 736. et infr. §. 18.) cernatur, totam rem comprehendimus, quum dicamus, tunc ab omni passione liberam fuisse naturam hominis, quum mors et quidquid cum ea cohaeret in vitam hominum nondum ir-

---

*) Hoc loco docet Gregorius, hominem qualis nunc sit totum esse subjectum passioni, quippe qui et a passione esse coeperit et passione conficiatur. Non item Christum, cujus neque generatio a passione inceperit neque mors in passionem desierit: *οὔτε γάρ*, ait, *τῆς γεννήσεως ἡδονὴ καθηγήσατο, οὔτε τὸν θάνατον φθορὰ διεδέξατο.* Quamquam non negatur per totam vitam Christum subjectum fuisse illis passionibus, de quibus sub num. 2. egimus, et ad quas mors ipsa domini pertinet. v. infr. §. 20, 2a.

repsisset. Tunc corporea quoque natura partem habuit divinae imaginis (orat. cat. 52 A.), neque passioni neque morti subjectus erat homo. Rationale animal, divinae incorruptaeque naturae opus et simulacrum, secundum propriam naturam non habuit *τὸ παθητικόν τε καὶ ἐπίκηρον*, alioquin contrarium fuisset exemplari suo; sed postea demum passio ei adjecta est (*ἐπεισήχθη τὸ πάθος αὐτῷ*), quum sua culpa liberoque arbitrio (v. s. §. 13. et infr. §§. 16. et 17.) eam sibi parasset. *θεὸς γὰρ θάνατον οὐκ ἐποίησεν* (de virg. III, 147 sq.).

§. 15.

Quamvis autem vix talis conjunctio mentis cum corpore cogitari possit, qua mens non male afficeretur, quum corporis actiones, praesertim affectus ex sexuum distinctione profluentes, necessario animum perturbare videantur, — hoc tamen respicientibus nobis ad dei creatoris consilium (cf. §. 6.) firmiter tenendum est, mentes non quasi ex coelesti coetu in corpora esse delapsas, sed eandem esse originem corporis et animae, quamvis fortasse nunquam pura hominis natura in terra apparuerit, sed deus praevidens peccatum statim ab initio corpori quaedam indiderit purae hominis ideae non prorsus congruentia.

1. Etiamsi mortem ejusque dolores et perturbationes animi vitiosas e prima hominum vita eliminamus, quum tamen restet corporea et irrationalis natura, restentque appetitus illi naturales (§. 13.), homo statuae altera facie deum adspicienti altera ad vitam belluinam conversae comparari potest, neque talis conditio apta videtur esse naturae ad divinam imaginem creatae (de hom. op. 19.). Neque enim fieri potest, ut mens, siquidem tam intime secundum divinum institutum conjuncta est cum corpore ut exposuimus (§§. 11. et 12.), prorsus pura servetur ab illis motibus ad conservationem naturae necessariis. Etiamsi enim quis ea ratione quam supra descripsimus (§. 13.) appetitus naturales mente gubernaret nullumque vitium committeret, multum tamen negotii mentem in tractandis motibus animae habere necesse esset atque saepissime his rebus a divinae pulchritudinis contemplatione avocari. Et quis certum poterit finem indicare, usque ad quem affectus ex corporis necessitate profluentes salva divinae imaginis integritate progredi possint, ultra quem vitiosa animi perturbatio incipiat? Quamobrem Gregorius saepe et motus naturales et

affectiones vitiosas eadem voce *πάθους* comprehendit (cf. ex. gr. de an. et res. 206.).

2. Accedit, quod quaedam mala, quae physica dicuntur quibusque nunc afficitur et passionibus doloris etc. subjicitur homo (cf. §. 14, 2.), a vita in corpore degenda discerni vix possunt. Quae quum ita sint, cotemplantibus nobis et ideam hominis ad imaginem divinam formati et statum ejus humilem quem videmus maximae oriuntur gravissimaeque difficultates. „Si divinum verbum“, ait Gregorius (de hom. op. 16.), „nostram cum divina comparans naturam mentiri nequit, aut deum patibilem aut humanam naturam impatibilem esse sequitur *), quorum alterum cum natura dei, alterum cum eo quod videmus patimurque pugnat.“

3. Duplex erat via ex his angustiis effugiendi. Aut dicendum erat, primam hominis conditionem ab omni terreno corpore liberam fuisse et quicquid cognationem cum natura rationis experte habeat adventitium et postea tantum propter peccatum adjunctum esse, — aut impatibilis atque idealis hominis natura tunc demum tribuenda erat homini, quum ex hac terra exemtus ad beatam vitam perventurus esset, ita ut humanae naturae, priusquam ad perfectionem veniret, patibilis hujus vitae cursum percurrendum esse doceretur. Atque revera ad hoc utrumque nonnunquam inclinat Gregorii doctrina.

a) Ad priorem sententiam spectare videntur quae Gregorius de hom. op. 16. ad removendam illam difficultatem affert. Ibi enim, si, inquit, neque deum patibilem, neque hominem impatibilem esse concedi potest, sequitur, aliud esse quod ad imaginem factum est, aliud quod nunc afflictum videmus**). Quae distinctio etiam verbis Mosis Gen. 1, 26 sq. indicatur. Primum enim illo loco creatio ad imaginem divinam facta traditur, tunc demum, deum fecisse marem et feminam. Quod confirmatur ab apostolo, quum dicat, in Christo Jesu neque marem esse neque feminam. Christus enim ad pristinum statum homines revocabit. Igitur initio sexuum distinctio non erat, et duplex fuit fabricatio naturae nostrae: *ἥ τε πρὸς τὸ θεῖον ὁμοιωμένη ἥ τε πρὸς τὴν διαφορὰν ταύτην* (sc. maris et feminae) *διῃρημένη* de hom. op. 16. Cum ratione autem propagationis alia quoque hominibus cum animalibus communia esse coeperunt. ib. c. 17. Quamobrem omnino ait *ἐπιγεννήμα-*

---

*) *ἀνάγκη τῶν δύο τὸ ἕτερον ὁμολογεῖσθαι, εἴ τις συγκρίνοι τῷ θεῷ τὸ ἡμέτερον, ἢ παθητὸν εἶναι τὸ θεῖον, ἢ ἀπαθὲς τὸ ἀνθρώπινον.*

**) *ἕτερον μέν τι τὸ κατ᾽ εἰκόνα γενόμενον, ἕτερον δὲ τὸ νῦν ἐν ταλαιπωρίᾳ δεικνύμενον.*

τικὴν εἶναι τῷ ἀνθρώπῳ τὴν πρὸς τὸ ἄλογον κοινωνίαν τε καὶ συγγένειαν (ib. c. 16.). Hae sunt pelliceae illae tunicae (Gen. 3, 21.) quas deus Adamo et uxori ejus induendas tradidit, posteaquam peccaverunt: τὴν γὰρ ὑλικὴν ταύτην ἡδονὴν πρὸ τῆς ψυχῆς εὐφροσύνης τοῦ ἀνθώπου προελομένου (v. infr. §. 17, 4.) συντρέχειν μέν πως ἔδοξεν αὐτῷ τῇ ὁρμῇ διὰ τοῦ δερματίνου χιτῶνος, ὃν διὰ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον αὐτῷ ῥοπὴν περιέθηκεν, δι' οὗ τῆς ἀλόγου φύσεως ἐπεμίχθη τῷ ἀνθρώπῳ τὰ ἰδιώματα, κ. τ. λ. — πάντα γὰρ φέρων ἐν ἑαυτῷ τὰ ἰδιώματα ὁ δερμάτινος χιτών, ὅσα εἶχε περιέχων τὴν ἄλογον φύσιν, ἡδονήν τε καὶ θυμὸν καὶ γαστριμαργίαν καὶ ἀπληστίαν καὶ τὰ ὅμοια, ὁδὸν δίδωσι τῇ ἀνθρωπίνῃ προαιρέσει τῆς κατὰ ἑκάτερον ῥοπῆς εἰς ἀρετήν τε καὶ κακίαν ὕλη γινόμενος. In his enim, pergit Gregorius, vivens homo, libero voluntatis motu εἰ μὲν διακρίνοιτο τοῦ ἀλόγου τὸ ἴδιον, καὶ πρὸς ἑαυτὸν βλέποι διὰ τῆς ἀστειοτέρας ζωῆς, καθάρσιον τῆς ἐμμιχθείσης κακίας τὸν παρόντα βίον ποιήσεται, κρατῶν διὰ τοῦ λόγου τῆς ἀλογίας. εἰ δὲ πρὸς τὴν ἄλογον τῶν παθημάτων ῥοπὴν ἐπικλιθείη τῷ τῶν ἀλόγων δέρματι συνεργῷ χρησάμενος πρὸς τὰ πάθη, ἄλλως μετὰ ταῦτα βουλεύσεται πρὸς τὸ κρεῖττον μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον γνοὺς τῆς ἀρετῆς τὸ πρὸς τὴν κακίαν διάφορον ἐν τῷ μὴ δύνασθαι μετασχεῖν τῆς θεότητος, μὴ τοῦ καθαρσίου πυρὸς τὸν ἐμμιχθέντα τῇ ψυχῇ ῥύπον ἀποκαθήραντος. ταῦτά ἐστιν ἃ τὴν τοῦ σώματος χρείαν ἀναγκαίαν ἡμῖν ἐποίησεν, δι' οὗ τό τε αὐτεξούσιον σώζεται καὶ ἡ πρὸς τὸ ἀγαθὸν πάλιν ἐπάνοδος οὐ κωλύεται de mort. III, 635.

Hunc si solum inspicimus locum, facere non possumus quin Dallaeo assentiamur, qui *) eundem locum afferens haec annotat: „ea veste (i. e. pellicea tunica) una cum Origene hic quoque (sc. Gregorius) significari putat corpus bestiarum, unde assumta erat, passionibus obnoxium, quo scilicet hominem a deo post peccatum indutum fuisse volunt." **)

Si vero res ita se haberet, sequeretur omnes hominum animas secundum Gregorii sententiam puras antea extitisse et in coelesti quadam vel spirituali republica vixisse. Nam si solus Adam ante lapsum incorporeus extitisset puram dei imaginem referens, in nullo alio homine, quoniam omnes bestiarum more coelesti imagine indigno procreati essent, revera

---

*) In libro de poenis et satisf. IV, 7. Integrum caput Oudinus libro suo (comm. script. eccl. t. I. p. 587 sqq.) inseruit.

**) cf. Tillem. Mém. t. IX. p. 615. Scultetus, medull. patr. p. 887. ed. Frf. Fabric. bibl graec. vol. VIII p. 154. ed. antiq: „totus in hoc sermone Origeniana dogmata sapit Nyssenus."

divinum esset simulacrum. Si igitur Gregorius (cum Origene) docuit, corpus post peccatum homini ad divinam imaginem creato adjunctum esse, hoc quoque ipsi cum Origene probandum erat dogma, omnes animas ante lapsum puras praeextitisse, ut ajunt, atque in coelesti coetu vixisse. Atque ad hanc sententiam referri potest, quod Gregorius in illis verbis, deus fecit hominem ad simulitudinem etc., totam ait hominum naturam a primis ad extremos usque comprehendi (de hom. op. 22.), et quod in expositione orationis dominicae dicit, verba: pater noster, qui es in coelis, recordationem nobis dare patriae ex qua exciderimus et nobilitatis de qua dejecti simus (*εὐγενείας ἧς ἀπεβλήθημεν*). de orat. I, 741. Sic narratio illa apud Lucam (15, 11 sqq.) docet humanam miseriam et verba *εἰς τὸν οὐρανόν* (v. 18.) demonstrant, coelum esse patriam filii illius, quam amiserit (*ὃν* [sc. *οὐρανὸν*] *καταλιπὼν ἐπλημμέλησεν*. ib. p. 741.). Deseruimus bonam in paradiso vitam et a ligno vitae depulsi in profundum materialis vitae immersi sumus (hominem appellat *τῷ βαράθρῳ τῆς ὑλικῆς ζωῆς συγκαλυφθέντα* ib. 716.). Accedit, quod Gregorius de hom. op. 19. homines in paradiso cibum corporeum sumsisse negat, et ad animum vult pertinuisse illum fructum, quum lignum paradisi (i. e. כל עץ) omne bonum comprehendet idemque significet ac lignum vitae, i. e. sapientiam quae sit ipse deus. In solis igitur spiritualibus tunc versatum esse videtur humanum genus similiter atque angelorum coetus. Quamobrem cum ove illa errante (Luc. 15, 4—7.) comparamur nos qui lapsi sumus et aberravimus a spirituali centuria (*οἱ τῆς λογικῆς ἑκατοντάδος* [Luc. 15, 4.] *ἀποβουκοληθέντες διὰ τῆς ἁμαρτίας* adv Apoll. c. 16. p. 156.).

Attamen contra hanc sententiam pugnant

*α*) omnia quae supra explicavimus de consilio quod deus in creando homine sibi proposuit (§§. 6 sqq.), et quae a Gregorio praesertim in oratione catechetica *δογματικῶς* exponuntûr, quum in libro de hom. op. ipse dicat se conjecturas tantum de mysterio quodam inexplicabili proferre, quod deus solus penitus perspicere possit. *) Reliquae autem sententiae supra allatae ex orationibus repetitae sunt, in quibus Gregorius animos audientium sive proposita praesentis humilitatis et pristini splendoris comparatione ad studium recuperandae per vitutem primae beatitudinis commovere (de orat.), sive spe futurae vitae ab omnibus corporis miseriis liberae de morte hominum dilectorum consolari studet (de mortuis).

---

*) *ἀλλὰ τὸν μὲν ἀληθῆ περὶ τούτου λόγον μόνη ἂν εἰδείη σαφῶς ἡ ὄντως ἀλήθεια* l. l. c. 16.

In ipso autem libro de orat., in quo Gregorius saepius ita de prima hominum coelestique patria loquitur, ut Origenem sequi videatur, duplicem tamen creaturarum rationalium ordinem esse docet, angelorum, et hominum qui necessario propter corporis deorsum trahentis sentinam hanc terrestrem sortiti sint vitam, causamque hujus differentiae non in peccato ponit, sed in sapientissimo dei consilio supra descripto (§. 6. p. 17 sqq.). *)

β) Et in libro de an. et res. et sub fine ipsius de hom. op. libri contra eos aperte pugnat, qui animas ante corpora simul tanquam in republica coelesti extitisse illasque quae ad malum se convertissent in vitam corpoream delapsas esse dicant. Contra hos enim non minus quam contra alios qui corpora prius quam animas creata esse putant Gregorius idem esse confirmat animae corporisque principium existendi. de hom. op. 28 sq. Ex hac traducianismi quem vocant defensione cognoscitur, quam intimam Gregorius et necessariam velit esse corporis animaeque conjunctionem. Animam generatione prolatam inde ab initio adesse corpori, quamvis lateat, et paullatim vires suas primum inferiores deinde insigniores expandere diversos gradus una cum corpore percurrentem. Etenim causam naturae nostrae generandae quae in semine insit neque animam esse sine corpore, neque corpus sine anima (ib. c. 30.), sed in semine hominis vivo omnes partes virtute latere gradatimque, prout corpus ad perfectionem progrediatur, primum animae vim vegetativam, deinde sensualem, denique rationalem apparere (ib. c. 29.). *Λείπεται οὖν, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ψυχῆς τε καὶ σώματος τὴν ἀρχὴν τῆς συστάσεως οἴεσθαι* (de an. et res. 241 A.). Surculo a radice avulso comparatur infans, *ἐξ ἐμψύχου ἔμψυχον, ἐκ τρεφομένου τρεφόμενον* ib. B. Quod autem non statim omnes animae facultates appareant, mirandum non est. Neque enim semen frumenti statim spica est. *Πρὸς λόγον τῆς σωματικῆς ποσότητος καὶ ἡ τῆς ψυχῆς διαφαίνεται δύναμις, πρῶτον μὲν διὰ τοῦ θρεπτικοῦ τε καὶ αὐξητικοῦ τοῖς ἔνδοθεν πλασσομένοις ἐγγινομένη, μετὰ ταῦτα δὲ τὴν αἰσθητικὴν χάριν τοῖς εἰς φῶς προελθοῦσιν ἐπάγουσα· εἶθ᾽ οὕτω καθάπερ τινὰ καρπὸν, αὐξηθέντος ἤδη τοῦ φυτοῦ, μετρίως τὴν λογικὴν ἐκφαίνουσα δύναμιν,*

---

*) Humana natura *διὰ τὴν τοῦ σώματος ἡμῶν πρὸς τὸ γεῶδες συγγένειαν οἷόν τινα ἰλύος ὑποστάθμην κατ᾽ ἀνάγκην τὸν περίγειον τοῦτον εἴληχε βίον.* Jam sequitur quaestio de causa hujus institutionis, quam in eo consilio dei positam esse putat, ne qua pars creatae naturae ab intelligibili natura prorsus esset exclusa.

*οὐ πᾶσαν κατὰ τὸ ἀθρόον, ἀλλὰ τῇ ἀναδρομῇ τοῦ φυτοῦ δι' ἀκολούθου προκοπῆς συναυξομένη.* ib. 241 D.

Haec doctrinam de praeexistentia non minus impugnant quam creatianismum. Quae autem contra eos profert, qui migrationem animarum (*μετεμψύχωσιν*) docent, iis se ipse tangeret, si revera doceret animas hominum post peccatum et propter peccatum corporibus esse insertas. Illam enim philosophorum sententiam, animarum quasi gentes in propria quadam civitate ante corpoream vitam extitisse *), inde propter peccata decidisse in hominum corpora, deinde in alia, plantas etc., rursus autem ad coelestia per singulos gradus evehi propter virtutem (de an. et res. 233 sq.), — hanc sententiam quum aliis argumentis tum eo refutat, quod malum vel peccatum constituat causam et principium rerum hujus mundi (*ἄρα κατάρχειν οἴονται τὴν κακίαν τῆς τῶν ὄντων συστάσεως* 236 A.), quasi vita humana extitura non fuisset, nisi malum occasionem vitae dedisset. Qui id docent, omnia ad casum fortuitum deducunt, providentiam dei tollunt **) et cum hac virtutis praemium. Si enim malum est principium vitae, ipsa vita necessario in malo versabitur; tollitur futurum judicium, ne appetitur quidem virtus utpote extra nostram posita naturam. Non igitur vitium vita antiquius est, neque inde vitae initium sed a sapientia dei: *ἄρα διὰ τούτου σαφῶς ἀποδείκνυται τὸ μὴ πρεσβυτέραν εἶναι τῆς ζωῆς τὴν κακίαν, μηδ' ἐκεῖθεν τὰς πρώτας ἀρχὰς ἐσχηκέναι τὴν φύσιν, ἀλλὰ κατάρχειν ἡμῶν τῆς ζωῆς τὴν τὸ πᾶν οἰκονομοῦσαν τοῦ θεοῦ σοφίαν* 237 D. Qualis autem sit haec sapientia, supra satis expositum est.

γ) Quod autem Gregorius loco supra p. 47. laudato (de hom. op. c. 22.) ait, illis verbis: fecit deus hominem ad imaginem, totum hominum numerum comprehendi, omnesque igitur simul creatos esse, minime repugnat doctrinae de anima per traducem propagata, ut ipse contextus loci allati et similis sententia c. 29. docet, ubi ratio qua in semine hominis omnes partes virtute latent cum eo modo comparantur, quo in creatoris mente omnia creanda simul comprehensa sunt. Atque revera omnia simul creata sunt (§. 5.) ita ut potentiam

---

*) *ἔθνη τινὰ τῶν ψυχῶν ὑποτίθενται ἐν ἰδιαζούσῃ τινὶ πολιτείᾳ πρὸ τῆς ἐν σώματι ζωῆς βιοτεύοντα* de an. et res. 233 D.

**) *εἶτα καὶ πῶς διὰ τούτων ἐπιστατεῖν τὸ θεῖον τῶν ὄντων ὑπονοήσουσι, τῇ τυχαίᾳ ταύτῃ καὶ ἀλόγῳ τῶν ψυχῶν καταπτώσει τὰς ἀρχὰς τῆς ἀνθρωπίνης ἀνατιθέντες ζωῆς;* ib. 236 D.

in se continerent singula omnia proferendi, nec vero minus certos fines ultra quos prolatio non progrediatur. Hoc igitur vult illa sententia, universum genus humanum uno actu divino creatum esse, ita ut singuli quique naturam generis h. e. divinam imaginem haberent, quamvis mille annis post Adamum nati, quia in primis hominibus potentia jam creati essent. Omnes igitur homines si ita dicere licet idealiter (in mente divina totum genus simul comprehendente) et potentialiter praeexistentiam habuerunt, realiter autem per semen humanum in propagatione nati sunt. Quo usque vero procedere debeat haec propagatio statim initio constitutum est. Expleto enim certo statutoque numero consistet fluens naturae motus: *ἐπειδὰν εἰς τὸ οἰκεῖον πλήρωμα τὸ ἀνθρώπινον φθάσῃ, στήσεται πάντως ἡ ῥοώδης αὕτη τῆς φύσεως κίνησις εἰς τὸ ἀναγκαῖον καταντήσασα πέρας, καί τις ἑτέρα κατάστασις τὴν ζωὴν διαδέξεται, τῆς νῦν ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ διεξαγομένης κεχωρισμένη* de an. et res. 242.

δ) Ex allegorica denique interpretatione narrationis de cibo in paradiso ab hominibus sumto cave ne plus aequo colligas. Notissimum enim est, alios quoque patres, qui haudquaquam totam de paradiso narrationem cum Origene ad coelestem animarum statum referrent, quum aliis in rebus tum in cibo illo ex arboribus sumendo allegoriam vidisse, quia natura hominis tunc immortalis (v. i. p. 54.) quamvis in terra vixerit, cibo non eguerit. Censuerunt igitur, ut Augustini verbis utar, eam solam in Paradiso voluptatem vel alimoniam fuisse, qua delectentur et alantur corda sapientium *). De distinctione sexuum autem vide infra p. 54 sq.

b) **) Si vero Gregorius, ut vidimus, doctrinam de praeexistentia animarum plerumque non probat sed impugnat, ad alterum quod supra notavimus facile progredietur sententia, ut agnoscat, mala, dolores, mortem non quidem ad idealem hominis naturam pertinere, sed tamen deum ita hominem instituisse, ut priusquam ad perfectionem perveniret hanc vitam ortui et interitui necessario subjectam percurreret. Huc pertinent et illae Gregorii sententiae, in quibus ex necessitate interna hominum corpora morte dissolvi docet, et illae in quibus agnoscens, ut videtur, necessitatem malorum hanc vitam infestantium a deo tamen culpam mali cujusdam removere studet, eo quod haec non esse vere mala demonstrat.

---

*) cf. Dion. Petav. l. l. III, 174 ed. Antw. et Heyns l. l. p. 137.

**) cf. supra a) p. 45.

Saepius itaque ait corpoream naturam mortis necessitatem in se habere, quia sit materialis ideoque composita; composita enim omnia ad dissolutionem labi. Omnis caro est *ἀντίτυπος τῷ ἁπτομένῳ, τὸ δὲ ἀντίτυπον ὑλῶδες καὶ σύνθετον· τὸ δὲ σύνθετον καὶ διάλυτον* adv. Apoll. c. 15. p. 153 sq. cf. c. Eunom. 770 A. Si deo corpus tribuimus, compositum eum affirmamus, si compositus est, necessario etiam dissolvetur. cf. or. cat. 61 B. Quae quum ita sint, omnes affectiones naturae omnesque morbi non minus quam ipsa mors necessario ex corporea natura provenire videntur (*πάθεσι καὶ ἀῤῥωστήμασιν ὑποκεῖσθαι κατ' ἀνάγκην τὴν τοῦ σώματος φύσιν σύνθετον οὖσαν καὶ εἰς διάλυσιν ῥέουσαν* or. c. 58 B.). Hanc ob causam monet Gregorius, ut Paulum sequentes spiritualiter boni malique naturam dijudicemus nulla corporis ejusque vel doloris vel voluptatis habita ratione, atque cognoscamus vere malum non in ejusmodi miseriis sed in sola malitia esse positum (ib. 58 B. C.).

Neque etiam propter ejusmodi dolores corporeas a fluxo naturae nostrae statu non sejungendas deus accusandus est, quasi ipse sit malorum auctor, neque est cur propter haec ad Manichaeorum dogma confugiamus deum esse creatorem omnino negantium.*) Infimae enim pusillanimitatis est, ex sensibus bonum et malum aestimare, quum illud solum sit bonum quod sensus non attingat, illud solum malum, quod ex perversa voluntatis dispositione natum malitia sit. De molestiis autem vel voluptatibus bonum et malum judicare naturae rationis experti convenit. or. cat. 62 D sq. ib. 71 A. 72 A. 87 D. sq.

Admonet igitur Gregorius, ut prospicientes ad futuram beatitudinem hujus vitae molestiam patienter feramus; et si quis quaerit, cur, quum vita post mortem incorporea (v. tamen infra §. 22.) multo magis apta sit hominis naturae quam praesens vita, cur, inquam, nobis hoc corpus impositum sit (de mort. 630 sqq.), respondit Gregorius hanc vitam non quidem ita beatam esse quam angelorum sortem, sed viam esse ad ea quae speremus. Sicuti enim in plantis neque semen neque herba neque spica fructus est, et tamen ab agricola non aegre feruntur, quoniam haec omnia necessaria sunt ad fruges proferendas, sic nobis quoque quicquid certo naturae ordine contingit utile judicandum est atque necessarium.

---

*) *Ὑπὸ μικροψυχίας*, ait Gr., Manetem non vidisse, quomodo hoc fieri possit: *μηδὲ κακῶν δημιουργὸν τὸν θεὸν οἴεσθαι, μήτε ἄλλο τι ἄναρχον παρὰ τὸν θεὸν φαντασθῆναι.* c. Eun. p. 393 C.

quamvis per se non sit finis, cujus gratia ad existentiam vocati sumus. Beatitudo enim est expectatus finis, quaecunque autem in corpore nunc cernuntur (*ἃ — περὶ τὸ σῶμα νῦν καθορᾶται*), mors, senectus, juventus, infantia, formatio foetus in utero —, haec omnia ad viam pertinent qua ad speratam pervenimus perfectionem (*ὁδὸς καὶ ἀκολουθία καὶ δύναμις τῆς ἐλπιζομένης ἐστὶ τελειώσεως* p. 632.).

Attamen locus modo explicatus *) ipse ostendit omnes illas infirmitates nunc quidem ad necessariam nobis viam pertinere, sed non secundum primum dei institutum. Nam „haec omnia," inquit, „viae in qua incedimus sunt partes," *ὁ δὲ σκοπὸς καὶ τὸ πέρας τῆς διὰ τούτων πορείας ἡ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασις* (*ὅπερ οὐδὲν ἕτερον ἢ ἡ πρὸς τὸ θεῖον ὁμοίωσις*). p. 632. Et paullo post addit: si tales mansissemus, quales ab initio fuimus, pellicea tunica plane non eguissemus (*οὐκ ἂν πάντως τοῦ δερματίνου χιτῶνος προσεδεήθημεν* p. 633.).

4. Quamobrem ea quae supra (3, b.) attulimus ad fulciendam alteram ex duabus illis sententiis sub num. 3. init. propositis solatia magis et praecepta esse videntur quae, quandoquidem miserae nostrae vitae mala illa inhaereant, quomodo de his rebus judicandum sit, nos docent. Nec tamen hanc ob causam neganda sunt, quae supra de prima pura et a passionibus morteque libera hominis natura exposuimus. Manent haec et saepe similes sententiae apud Gregorium inveniuntur, manet etiam saepiusque repetitur illa sententia, resurrectionem nihil aliud esse nisi restitutionem quae ad pristinum statum hominem reducat. Hanc comparationem fusius explicat Gregorius de an. et res. 252 sq. Resurrectio, inquit Gregorius, est naturae nostrae in pristinum statum restitutio. In prima autem vita a deo creata neque senectus erat, ut videtur, neque infantia, neque variorum morborum affectiones neque ulla alia corporis miseria — neque enim deum decebat talia creare — sed divina quaedam res erat humana natura, **) priusquam ad malitiam se convertit. Paullo post hoc discrimen inter primam vitam et eam quae peccatum secuta est interesse

---

*) Idem liber hunc locum habet et illum, qui supra praeexistentiam defendere nobis visus est.

**) *Ὅτι ἀνάστασίς ἐστιν ἡ εἰς τὸ ἀρχαῖον τῆς φύσεως ἡμῶν ἀποκατάστασις. Ἀλλ' ἐν τῇ πρώτῃ ζωῇ ἧς αὐτὸς γέγονε δημιουργὸς ὁ θεὸς, οὔτε γῆρας ἦν, ὡς εἰκὸς, οὔτε νηπιότης, οὔτε τὰ κατὰ τὰς πολυτρόπους ἀῤῥωστίας πάθη, οὔτε τι ἄλλο τῆς σωματικῆς ταλαιπωρίας οὐδέν· οὔτε γὰρ εἰκὸς ἦν*

docet, quod quicquid ex irrationali vita humanae immixtum sit naturae prius non fuerit quam in passiones ceciderit per vitium genus humanum. *) Qualia autem hoc modo ex irrationali natura nobis immixta sint, ipse statim explicat verbis quae optimam lucem afferunt sententiis supra p. 45 sq. ex libris de hom. op. et de mort. laudatis atque ostendunt, Gregorium utramque illam sententiam, et eam de praeexistentia animarum incorporea et eam quae hominem ab initio in passionibus morbis mortisque necessitate fuisse docet, improbasse. Verba sunt haec: — *ἡμῶν ἀποδυσαμένων τὸν νεκρὸν ἐκεῖνον καὶ εἰδεχθῆ χιτῶνα τὸν ἐκ τῶν ἀλόγων δερμάτων ἡμῖν ἐπιβληθέντα· δέρμα δὲ ἀκούων τὸ σχῆμα τῆς ἀλόγου φύσεως νοεῖν μοι δοκῶ, ὃ πρὸς τὸ πάθος οἰκειωθέντες περιεβλήθημεν· πάντα ὅσα τοῦ ἀλόγου δέρματος περὶ ἡμᾶς ἦν ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ χιτῶνος συναποβαλλόμεθα. Ἔστι δὲ ἃ προςελάβομεν ἀπὸ τοῦ ἀλόγου δέρματος ἡ μῖξις, ἡ σύλληψις, ὁ τόκος, ὁ ῥύπος, ἡ θηλὴ, ἡ τροφὴ, ἡ ἐκποίησις, ἡ κατ᾽ ὀλίγον ἐπὶ τὸ τέλειον αὔξησις, ἡ ἀκμὴ, τὸ γῆρας, ἡ νόσος, ὁ θάνατος.* 253 B. Non igitur corpus ipsum per quod in hac terra vivimus est pellicea tunica, alioquin omnia illa singula quae enumerat Gregorius comprehendenda fuissent una voce corporis, sed totus naturae irrationalis habitus, cum fere omnibus animalis vitae actionibus. **) Res ipsa fert, ut de talis corporis natura, quam ab omnibus animatae quam videmus vitae legibus prorsus alienam primis hominibus tribuit, certam nobis notitiam Gregorius nusquam tradat, quum res nostram cognitionem omnino effugiat.

Itaque etiam fit, ut Gregorius ubi divinam creatoris sapientiam artificiose animam corpusque humanum conjungentem depingit (§. 11. cf. §. 8.) exempla et argumenta hujus artificiosae structurae ex corporis natura qualis nunc est depromere cogatur, et in contemplanda mira sapientia et pulchritudine quae etiam nunc e corporis mundo (§. 7, 1. 8, 1.)

---

*τοιαῦτα δημιουργεῖν τὸν θεόν· ἀλλὰ θεῖόν τι χρῆμα ἦν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, πρὶν ἐν ὁρμῇ γενέσθαι τοῦ κακοῦ τὸ ἀνθρώπινον.*

*) *Ὅσα ἐκ τῆς ἀλόγου ζωῆς τῇ ἀνθρωπίνῃ κατεμίχθη φύσει, οὐ πρότερον ἦν ἐν ἡμῖν, πρὶν εἰς πάθος διὰ κακίας πεσεῖν τὸ ἀνθρώπινον.* ib. 253 A.

**) Etiam in locis supra (p. 45 sq.) expositis Gregorius plerumque de eo tantum loquitur quod in homine cum irrationali natura cognatum est, non aperte significans quid hoc sit; et uno loco tantum corpus ipsum nominat.

elucet, discriminis quod est inter primam naturam et viliorem paene obliviscatur, — ubi vero peccati et miseriarum inde progressarum memor admonet auditores earum rerum quas amiserint, primam hominis conditionem ita a materiali quae hodie est vita distinguere studeat, ut corpus tantum non tolli videatur.

5) Quomodo autem eam difficultatem enodet Gregorius, quod prima hominis natura m o r t e libera et tamen corpore aliquo praedita fuerit, quum aliis locis doceat, omne corpus necessario dissolvi, haec quaestio melius infra ubi de resurrectione disseremus tractabitur. Ibi enim eadem difficultas removenda est. Hoc loco id tantum moneo. Quod homo lapsus per Christum et resurrectionem adipiscetur, id si non peccasset, statim ab initio assecuturus erat, ut, quum ipse esset imago dei, etiam corporea ejus natura perfecte fulgeret divinae splendore similitudinis, h. e. in se reciperet omnia divina bona (cf. supra §. 6. fin. §. 13, 4.), per quae ad coelestia translata ipsa quodammodo spiritualis fieret. Itaque loco supra laudato (p. 52.) de mort. p. 632. verba illa *ἡ πρὸς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασις* simplicissime explicantur sequentibus: *ὅπερ οὐδὲν ἕτερον ἢ ἡ πρὸς τὸ θεῖον ὁμοίωσις.* Et paullo infra: Si tales mansissemus quales ab initio fuimus, pellicea tunica non eguissemus *ἐπιλαμπούσης ἡμῖν τῆς πρὸς τὸ θεῖον ὁμοιώσεως. Ὁ δὲ θεῖος χαρακτὴρ ὁ ἐπιφαινόμενος ἡμῖν τὸ κατ᾽ ἀρχὰς οὐ ποιοῦ σχήματός τινος ἢ χρώματος ἦν ἰδιότης, ἀλλ᾽ οἷς τὸ θεῖον θεωρεῖται κάλλος, τοιούτοις ἐκαλλωπίζετο καὶ ὁ ἄνθρωπος δι᾽ ἀπαθείας τε καὶ μακαριότητος καὶ ἀφθαρσίας τὴν ἀρχέτυπον χάριν ἀπομιμούμενος.* ib. 634. cf. orat. cat. 56 D. sq. Liber erat protoplastus a m o r t e (*γυμνὸς τῆς τῶν ν ε κ ρ ῶ ν δ ε ρ μ ά τ ω ν ἐπιβολῆς*), q u i a d e i f a c i e m a d s p i c i e b a t e o q u e s o l o non rebus gustatui sive aspectui subjectis d e l e c t a b a t u r *ἐν παῤῥησίᾳ τὸ τοῦ θεοῦ πρόσωπον βλέπων· οὔπω δὲ διὰ γεύσεως καὶ ὁράσεως τὸ καλὸν κρίνων, ἀ λ λ ὰ μ ό ν ο ν τ ο ῦ κ υ ρ ί ο υ κ α τ α τ ρ υ φ ῶ ν.* (cf. §. 4, 2.) de virg. III, 151.

6. Sociam autem hujus primae beatitudinis, ut ait Gregorius loco modo laudato, habuit uxorem quam nondum cognoverat. Quamvis enim haec differentia sexuum ad puram dei imaginem non pertineat, ab initio tamen a deo formata est. Quamquam usus ejus, sexuum consuetudo, post peccatum demum admittebatur. Deus enim primum quidem et principaliter creavit hominem ad imaginem suam ad societatem bonorum suorum eum vocans, quum autem p r a e v i d e r e t nos pro mutabili mentis natura ad vitium ruituros esse atque ex statu primario qui erat angelicus lapsuros, ne humanum genus ita

depulsum prorsus desineret esse, invenit deus propagationis rationem naturae nostrae depravatae consentaneam, permisitque ut brutorum more propagaremur. Nam angelorum quidem nulla propagatio et tamen multae copiae, incomprehensibili quadam ratione usque ad numerum a deo constitutum multiplicatae. *) Sic nobis quoque, si non peccassemus, conjugio ad generis amplificationem opus non erat, alia ratione ad numerum a creatore definitum perventuris. Depravata autem vitio natura nostra crassiore modo se propagandi indigebat. Itaque Gregorius duplicem ait fuisse formationem hominis (v. s. p. 45.), quarum tamen altera alteram sine mora secuta sit. Statim postquam deus fecit hominem ad divinam imaginem illud alterum addit scriptura sacra: et fecit marem et feminam. Ex his apparet, praeter illam difficultatis solutionem quam cum §. 14. bene concinentem supra (num. 4. hujus §. 15.) exposuimus, Gregorium alio quoque modo difficilem rem enodare studuisse, quem praesertim ex libro de hominis opificio cognoscimus. In hoc libro ait Gregorius (cf. supra p. 45.) differentiam sexuum pertinere ad naturam rationis expertem (ἥτις [sc. ἡ περὶ τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ διαφορὰ] — τῇ ἀλογωτέρᾳ προςῳκείωται φύσει). Inde, si supra exposita (n. 4.) sequimur, colligendum esset, post peccatum demum sexuum discrimen esse ortum. Nyssenus autem l. l. inverso ordine ita argumentari videtur. Deus si scripturae fides habenda est, ubi primum cum homine rationalem naturam communicavit, marem quoque et feminam disjunxit. Igitur reliqua quoque omnia quae in homine animali naturae cognata sunt, statim post imaginem dei adjuncta sunt (cf. locum supra p. 45. citatum). Quamvis vero haec cognatio cum bruta natura proprie repugnet divinae mentis indoli, tamen propter hanc ipsam humanam rationem, quae creata est, additae sunt illae humiliores partes. Mens enim ipsa quia dei imago est, liberum accepit arbitrium, quia vero creata est, desciscere et peccare potest. Atque hunc lapsum naturae praevidens, ut diximus, distinctionem sexuum, et cum ea reliqua irrationalis naturae signa homini tribuit. Quamobrem non quidem post peccatum sed tamen propter peccatum homo animalibus similis factus est. Ex qua similitu-

*) Si hunc locum sequimur (de hom. op. c. 17. p. 90.) angelos quoque non simul sed cum temporis successione natos esse docuit Gregorius. Aliis autem locis aliter sentire videtur (cf. §. 4.), et hoc loco ad illustrandam potius quaestionem de hominis propagatione hanc opinionem recepisse videtur quam δογματικῶς defendisse.

dine initia vel semina omnium animi perturbationum (πρῶται ἀρχαὶ τῆς ἐμπαθοῦς διαθέσεως c. 18.) derivandae sunt. de hom. op. 16 — 18.

Annotat. Ruppius l. l. p. 175 sqq. annot. varias Gregorii de hac re sententias ad unam differentiam, quae sit inter ideam hominis et eam naturam qualem reapse in omnibus singulis hominibus, etiam in Adamo, cernimus, reducere studet (Verhältniss von Idee und Wirklichkeit). Quod, quum secundum sententiam modo expositam nunquam prorsus pura apparuerit idea hominis, a vero abhorrere non videtur, dummodo ne recentiorum opinio Gregorio obtrudatur, qui necessariam inter ideam hominis et singulos homines discrepantiam sic definiunt, ut inde necessitas quaedam peccandi singulis hominibus oriri putetur, quum Gregorius semper ex peccato (sive praecedente sive praeviso) illam differentiam explicet, peccatum autem ex libero arbitrio nasci velit. Non tantas difficultates haec quaestio Gregorio movisset, nisi hoc utrumque firmiter tenere studuisset: ex ipsius dei consilio idealem hominis naturam realem quam vocant existentiam in hac terra et hoc corpore nactam esse, et tamen quod nunc veram hominis naturam corporis compagibus depressam atque perturbationibus obnoxiam videamus, culpam esse hominis non dei. Quamobrem, quomodocunque prima hominis creatio et sors explicatur, recte tamen quae sit ratio inter mentem hominis et corpus explicasse videmur iis quae §. 13. proposuimus.

---

## B. DE LAPSU ATQUE DEPRAVATIONE HUMANAE NATURAE.

---

### §. 16.

Peccatum hominis, cujus causam in deo ponere nefas est, ex libero arbitrio per privationem boni nascitur sollicitante diabolo.

1. *Μήποτε οὕτως παρανομήσαιμι, ὡς ποίημα θεοῦ τὴν κακίαν νοῆσαι* (in hexaem. I, 15.). Immo nullum malum (vere malum) a divina voluntate procedit; non enim esset vituperanda malitia, si deum haberet patrem. *) orat cat. 53 C.

---

*) *Οὐδεμία κακοῦ γένεσις ἐκ τοῦ θείου βουλήματος τὴν ἀρχὴν ἔσχεν· ἦ γὰρ ἂν ἔξω μέμψεως ἦν ἡ κακία, θεὸν ἑαυτῆς ἐπιγραφομένη ποιητὴν καὶ πατέρα.* Similiter Basilius hom. II. in hexaem. tom. I. p. 16 sq. cf. Jul. Müller, Lehre v. d. Sünde I, 351 sq.

Ejusmodi sententiae saepe inveniuntur, et diligentissime Gregorius hoc animis legentium inculcare studet (cf. supra §. 13, 3.).

2. Etenim malum talem naturae proprietatem habet, ut omnino a deo derivari nequeat. Nam omnium quidem rerum quae vere sunt deus auctor et causa est. Sed malum non est res, non habet propriam subsistentiam, sed est absentia melioris*), sive mera privatio (*στέρησις* or. cat. 55 C. sq.). Malum est = non esse bonum, *τὸ δὲ μὴ ὂν οὐχ ὑφέστηκε, τοῦ δὲ μὴ ὑφεστῶτος δημιουργὸς ὁ τῶν ὑφεστώτων δημιουργὸς οὐκ ἔστιν* or. cat. 58. cf. de virg. III, 148.

Neque enim virtus et malitia opponuntur ut duae res in se subsistentes, sed sicut ab eo quod est id quod non est discernitur; malum est id quod intelligitur, quum absentiam melioris cogitamus**); sicut caecitas visui opponitur, quamvis per se nihil sit nisi privatio. Malitiam ait esse *οἷόν τινα σκιὰν τῇ ἀποχωρήσει τῆς ἀκτῖνος ἐπισυμβαίνουσαν* or. cat. 55. Itaque malitia in eo quod non est suum esse (ut barbare loquar) habet: *ἥτις* (sc. *κακία*) *κἂν παράδοξον ᾖ, ἐν τῷ μὴ εἶναι τὸ εἶναι ἔχει· οὐ γάρ ἄλλη τίς ἐστι κακίας γένεσις, εἰ μὴ τοῦ ὄντος στέρησις* de an. et res. 223 D. cf. de infant III, 327.

3. Unde autem hic recessus (*ἀναχώρησις*) a bono? Malum nihil per se est extra voluntatem or. cat 58 D.***). Ibi igitur fons mali quaerendus. Qui enim fecit hominem ad communionem bonorum suorum, indidit ei omnium virtutum semina vel initia, ut per haec revera ad omnia bona cognata animum intenderet (§. 10, 3.). Non enim haec bona necessitate homini injungi potuerunt, alioquin in praestantissima parte

---

*) *Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλην κακίας γένεσιν ἐννοῆσαι ἢ ἀρετῆς ἀπουσίαν* or. cat. 53 C. *ἡ τοῦ κρείττονος ἀναχώρησις γίνεται τοῦ ἐναντίου γένεσις* ib. D.

**) *Τῆς γὰρ ἀρετῆς καὶ τῆς κακίας οὐχ ὡς δύο τινῶν καθ᾽ ὑπόστασιν φαινομένων ἡ ἀντιδιαστολὴ θεωρεῖται· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀντιδιαιρεῖται τῷ ὄντι τὸ μὴ ὄν, καὶ οὐκ ἔστι καθ᾽ ὑπόστασιν εἰπεῖν τὸ μὴ ὂν ἀντιδιαστέλλεσθαι πρὸς τὸ ὄν, ἀλλὰ τὴν ἀνυπαρξίαν ἀντιδιαιρεῖσθαι λέγομεν πρὸς τὴν ὕπαρξιν, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ κακία τῷ τῆς ἀρετῆς ἀντικαθέστηκε λόγῳ, οὐ καθ᾽ ἑαυτήν τις οὖσα, ἀλλὰ τῇ ἀπουσίᾳ νοουμένη τοῦ κρείττονος.*

***) *Κακὸν γὰρ οὐδὲν ἔξω προαιρέσεως ἐφ᾽ ἑαυτοῦ κεῖται* 58 D. cf. Basil. l. l. p. 166. *τὸ κακὸν οὐχὶ οὐσία ζῶσα καὶ ἔμψυχος, ἀλλὰ διάθεσις ἐν ψυχῇ ἐναντίως ἔχουσα πρὸς ἀρετήν κ. τ. λ.*

imago ab exemplari divino dissimilitudine disjuncta fuisset. Sed qui in omnibus deo similis erat, eum decebat etiam habere plenam libertatem suique potentiam, ut praemium virtutis esset bonorum communio (or. cat. 53.). Quae libertas non esset, nisi homo a bono etiam recedere et bona cum deterioribus communtare posset (ib.). Nam haec est natura libertatis, ut libere eligat quod animo gratum est (ib.*). Itaque fieri potest, ut eligat deteriora. Neque haec est culpa dei qui naturam liberam fecit, sed stultitiae sive temeritatis (*ἀβουλίας*) nostrae quae pejus meliori anteponit (ib. D.).

4. Causa autem vel potius occasio**) hujus aberrationis***) haec est. Angelus qui a deo terrae administrationem accepit (§. 4, 4.), quum aegre ferret, quod ex natura sibi subjecta evaderet essentia aliqua divinae dignitati similis, invidia commotus insidias homini struxit †). Antecessit igitur hominis lapsum lapsus hujus archangeli, una cum quo totum agmen ei subjectum a deo defecit (ep. de pythonissa II, 39.). Quod quomodo fieri potuerit, demonstrat natura privativa mali ex libera progredientis voluntate et magis magisque ut semel initium factum est in pejus ruentis 55 C — 56 C. Usque ad hunc enim finem via mali fert, ut non solum mala voluntatis dispositio augeatur, sed etiam ratio, quae ad divinam communionem adipiscendam atque amplificandam contendere debebat, multum conferat ad invenienda mala consilia or. cat. 56 D. Invidia igitur ductus diabolus homini insidiatus est. Vi autem eum bonis a deo acceptis atque beatitudine privare non potuit, nam fortior erat virtus divinae benedictionis (*ὑπερίσχυε γὰρ ἡ τῆς εὐλογίας τοῦ θεοῦ δύναμις τῆς τούτου βίας* 59 A.). Itaque ab hac inhabitante divina gratia ††) hominem

*) *Τοῦτο τῆς αὐτεξουσιότητός ἐστι τὸ ἰδίωμα, τὸ κατ' ἐξουσίαν αἱρεῖσθαι τὸ καταθύμιον* 53 D. Quomodo in deo affirmetur libertas, et tamen negetur eum peccare posse v. s. §. 4, 2., de libertate creaturarum cf. ib. et §§. 9. 10. 13.

**) *Ζητεῖς δὲ καὶ τὴν αἰτίαν τυχὸν τῆς κατὰ τὴν βουλὴν διαμαρτίας* or. c. 54 C. Contextus docet hanc non esse causam quam dicunt necessitantem.

***) Qualis fuerit haec aberratio §. sequens docebit.

†) Similes sententias aliorum affert Dion. Petav. de theol. dogm. III, 88. cf. Münscher-Cölln I, 88.

††) *ἀποστῆσαι τῆς ἐνισχυούσης αὐτὸν δυνάμεως μηχανᾶται κ. τ. λ.* Hanc *δύναμιν τῆς εὐλογίας τοῦ θεοῦ* prorsus aliam esse rem, quam Romanorum donum superadditum, nemo non videt. Homo ab initio erat in communione dei omniumque ejus bonorum, ad quae percipienda creatus et instructus erat (cf. §.

sejungere studuit decipiens eum et ad malum persuasione seducens. Quum enim immisceret voluntati hominis malitiam (sicut flammam exstincturi oleo aquam commiscemus) flamma superioris vitae deficiente alimento in homine exstincta est (57AB.). Sic fraudulenter ei persuasit, ut sui ipsius fieret interfector: *περιέρχεται δι' ἀπάτης τὸν ἄνθρωπον, αὐτὸν ἑαυτοῦ πείσας γενέσθαι φονέα καὶ αὐτόχειρα* 56D. cf. de fato II, 79.

## §. 17.

**Homo qui in bonis divinis versabatur pro natura sua mutabili et bipartita in errorem de appetendis bonis lapsus a deo ejusque bonis descivit.**

1. Homo ipse creator mali. Quum enim in propria natura pulcrum bonumque undique sibi propositum haberet, ultro ipse ea quae contra naturam pugnabant molitus est (*τὰ παρὰ φύσιν ἐκαινοτόμησεν*), mali usum suo vitio introducens (*τὴν τοῦ κακοῦ πεῖραν ἐν τῇ ἀποστροφῇ τῆς ἀρετῆς τῇ ἰδίᾳ προαιρέσει δημιουργήσας* de or. III, 148.). Sed quae tandem dementia hominem commovere potuit, ut tantam beatitudinem in qua ipso deo delectatus est desereret?

2. Neque enim prima illa vita sublimis et paradisiaca hominis naturae repugnabat. Immo ad id ipsum homo creatus erat acceperatque divinam imaginem ut oculum, quo solem divinum adspiceret (§. 10, 3.), et tam firmiter omnibus hominibus naturalis quaedam ad pulchrum inhaeret propensio*), ut etiam nunc quamvis peccatis obruti si paululum a corpore ejusque passionibus liberamus cogitationem et ipsius per se spectatae animae naturam ratione contemplamur, congenitum homini quendam atque essentialiter conjunctum cognoscamus impetum cupiditatis pulchrum optimumque affectantis, innatum atque ab omnibus passionibus liberum amorem archetypae imaginis**).

---

10.). Idque proprium naturae ejus rationalis munus et officium erat, quo externa vis eum nullo modo privare potuit. Sed solus homo ipse simulac sponte ad malum se convertit, necessario se exclusit a gratia divina, quia deum amplius adspicere non voluit. Hac re autem non peculiare aliquod donum amisit, sed ipsam naturam corrupit.

*) *φυσική τις πρὸς τὸ καλὸν σχέσις· καὶ πρὸς τοῦτο κινεῖται πᾶσα προαίρεσις, τὸν τοῦ καλοῦ σκοπὸν πάσης τῆς κατὰ τὸν βίον σπουδῆς προβαλλομένη* de mort. III, 617.

**) — *συνουσιωμένην τε καὶ συμπεφυκυῖαν τῷ ἀνθρώπῳ τὴν ἐπὶ τὸ καλόν τε καὶ ἄριστον τῆς ἐπιθυμίας ὁρμήν, καὶ*

3. Quamvis igitur, ut vidimus, homo natura mutabilis et libero praeditus arbitrio facultatem a recta via declinandi habeat, ita tamen in summa beatitudine eademque suae naturae maxime congrua versatur, ut nihil eum ad defectionem commovere posse videatur. Quae quum ita sint, dedita opera et consulto homo non potuit aberrare a finibus propositis, sed ex ignorantia et falso de vera boni natura judicio natum est vitium (ἡ περὶ τοῦ ὄντος [cf. §. 16, 1. 2.] ἀκρισία), neque e vero bono aberraturus fuisset, nisi fucus quidam pulchritudinis falso rebus inhaerens eum decepisset: *οὐκ ἂν ἐκείνου ποτὲ διημάρτομεν, ᾧ φύσις ἡ ἀγαθότης ἐστίν· οὐδ' ἂν ἑκουσίως τῇ τῶν κακῶν συνηνέχθημεν πείρᾳ· εἴπερ μὴ ἐπεκέχρωστο τὰ πράγματα διεψευσμένῃ τινὶ τοῦ καλοῦ φαντασίᾳ* de mort. III, 617 sq.

4. Unde autem hoc falsum de bonis appetendis judicium oriri potuerit, natura hominis nos docet. Homo enim ex natura sensibili et intelligibili compositus est (§. 6). Sensus autem necessitudine quadam cum crasso et terrestri conjuncti sunt (§. 11, 3.), et materia per se spectata deforme aliquid est et imperfectum (de hom. op. 12. p. 71 sq.) indigetque ratione exornante (materiam appellat *τὸ χρῇζον τοῦ καλλωπίζοντος* ib. p. 72.), ut supra §. 13. ostendimus. Ibi pericula quoque homini ex duplici natura oriunda jam indicata sunt. Quibus revera homo succubuit. Quamvis enim praestantior et sublimior esset intelligibilis hominis natura quam motus sensuum, ratio tamen propter intimam cum sensibus conjunctionem oblita illius distinctionis inter se ipsam et partem irrationalem (de mort. p. 635. cf. supra §. 13.) se ipsam sensuum motibus tradidit (*ἐν ἐκείνοις ἐγένετο* v. §. 13. fin.), et bona sensibus accepta ab iisque appetita majoris pretii habuit quam intelligibilia ipsi propter naturam deo cognatam convenientia. Inde peccatum ortum est, quum quod per se malum non esset (nam etiam sensibilis creatura a deo est) majori bono praeferretur, quocum comparatum pejus et — quia contrarium — malum, peccatum fieret. Sic enim intelligo locum orat. cat. 60 BC. ubi mortis origo decribitur: *ἐπειδὴ γὰρ ἡ αἴσθησις πρὸς τὸ παχύ τε καὶ γήϊνον οἰκείως ἔχει· κρείττων δὲ καὶ ὑψηλοτέρα τῶν κατ' αἴσθησιν κινημάτων ἡ νοερὰ φύσις, διὰ τοῦτο τῆς περὶ τὸ καλὸν κρίσεως ἐν τῇ δοκιμασίᾳ τῶν αἰσθήσεων ἁμαρτηθείσης, τῆς δὲ τοῦ καλοῦ δια-*

---

*τῆς νοητῆς ἐκείνης καὶ μακαρίας εἰκόνος, ἧς ὁ ἄνθρωπος μίμημα, τὸν ἀπαθῆ καὶ μακάριον ἔρωτα συνημμένον τῇ φύσει* de scop. Christ. III, 298 sq.

*μαρτίας τὴν τῆς ἐναντίας ἕξεως ὑπόστασιν ἐνεργησάσης, τὸ ἀχρειωθὲν ἡμῶν μέρος τῇ παραδοχῇ τοῦ ἐναντίου λύεται.* Hoc loco judicium recti in aestimatione sensuum errasse dicitur, sine dubio quia verum bonum in sensuum voluptatibus inesse censuerit, quamquam bene nosse debuerit praestantiorem rationis naturam.

Neque igitur natura sensibilis per se spectata neque rationalis sola in causa peccati est, sed ex ancipiti hominis natura malum ortum est, ita ut, si liceret scholasticorum vocabulum graecae Gregorii eruditioni accomodare, dicere possemus, naturam sensibilem praebere materiale primi peccati, intelligibilem formale. Unde elucet, Gregorium eodem fere jure nonnullis in locis rationis errori culpam tribuere, in aliis cupiditatibus. De orat. I. 736. humana, inquit, natura *τῆς τοῦ καλοῦ κρίσεως ἀπεπλανήθη δι' ἀπάτης* et ad contrarium inclinavit arbitrium nostrum. Et ib. 741: bona erat valetudo naturae hominis rationalis, quum animae facultates (*κινήματα*) secundum virtutis rationem *ἰσοκράτως* in nobis temperatae essent. Quum vero vis concupiscentiae (*τὸ ἐπιθυμητικὸν*) ita invalesceret, ut contraria continentiae facultas illius motum ad illegalia tendentem impedire amplius non posset, tunc peccatum intravit. Sed etiam hoc loco non sensibilis natura per se causa mali est, sed ea facultas animae quae ex conjunctione cum sensibili natura nata est (§. 12, 3).

Voluptas igitur per fraudem in homine exorta initium fecit lapsus (*ἡδονὴ τότε δι' ἀπάτης ἐγγινομένη τῆς ἐκπτώσεως ἦρξατο* de virg. III. 151.). Quod autem Gregorius fraudem et errorem inde ortum causam peccati formalem facit docetque hominem deceptum esse a diabolo, qui fraudulenter malitiam voluntati hominis immiscuerit, his sententiis Gregorius culpam hominis nullo modo vult tollere, sed ut in alia notissima sententia, hominem malum non ut malum eligere, sed tantum ubi sub specie boni ipsi appareat, hoc tantum sibi vult, hominem, quum a virtute recedat, malum (morale) non de industria eligere, quia malum sit, sed quoniam speret, se boni (i. e. jucundi) aliquid inde sibi collecturum. Sic mens adspiciens suavitatem si sensibus obtemperet oriundam negligit bona spiritualia et, quum aversio a bono sit malum, malum amplectitur peccando. Ita etiam narrationem Geneseos de arbore cognitionis boni malique explicat Gregorius. Cognitio enim boni et mali nihil aliud est, nisi appetitio mali latentis sub boni specie, quoniam malum plane nudum neque appareat nobis*) neque vim habeat ho-

*) Quod bene congruit naturae mali negativae neque in se subsistenti.

mines alliciendi (de hom. op. c. 20. cf. de an. et res. 217 C.). Manet tamen culpa hominis, nam libero voluntatis motu societatem mali nobis adscivimus per voluptatem malum velut venenum melle conditum naturae inmiscentes*).

Si vero quis putat, non recte nos intellexisse Gregorii sententiam et sine jure illud: „nemo lubens malus" ita explicasse, quasi Gregorius, qui alias bene distinguit inter verum malum i. e. ethicum et omnia injucunda atque molesta, nostro loco plane confuderit malum ethicum et malum naturae sive physicum, respondeo, Gregorium etiam hoc loco non tam confudisse diversas notiones, quam alteram ad alteram latius patentem reduxisse. Qualiscunque enim mali moralis est natura, sine dubio peccatum naturae quoque malis annumerandum est. Non enim poena tantum peccati dolore hominem afficit, sed ipsum peccatum hominis naturam divina imagine ornatam misserime infestat. E contrario prima animi bonitas simul erat prima beatitudo. Si igitur Gregorius dicit, hominem malum non ut malum eligere, sed tantum ubi sub specie boni appareat, utraque notio boni (moralis et physici) in hac sententia quasi latet, ita ut bonum sit quodcunque hominis naturae conveniat. Atque eodem spectat explicatio parabolae Luc. 16, 19 sqq., quam singulas similitudinis partes ad spiritualem doctrinam (*εἰς νοητὴν θεωρίαν*) referens proponit Gregorius de an. et res. 217 B. sqq. Hominum vita, inquit, ab initio erat uniformis et in solo bono ab omni admistione mali pura versabatur**), quum deus (Gen. 2, 16 sq.) sine invidia omnium paradisiacorum bonorum partem homini daret, retineret eum ab eo tantum, cujus natura e contrariis commixta est, e bono maloque. Hac enim arbore cognitionem boni malique praebente frui sub poena mortis vetiti erant. Quum autem libera cum voluntate hanc vitam e contrariis compositam elegissent, deus errorem non reliquit incorrectum, sed bifariam dividens humanam vitam in hanc quae in carne peragitur brevissimam et futuram a carne liberam semperque duraturam, pro sua benignitate unicuique in utra velit potestatem bonum et malum possidendi dedit. Non idem autem bonum ab alteris in hac vita brevissima possidetur, ab alteris in futura aeterna (cujus *πέρας ἡ ἀπειρία*), sed haec divisio ipsa co-

---

*) *διά τινος ἡδονῆς οἷόν τι δηλητήριον μέλιτι παραρτυθὲν τῇ φύσει τὸ κακὸν καταμίξαντες* or. cat. 59 C.

**) *μονοειδής· μονοειδῆ δὲ λέγω τὴν ἐν μόνῳ τῷ ἀγαθῷ θεωρουμένην καὶ πρὸς τὸ κακὸν ἀνεπίμικτον.*

haeret cum differentia maxima earum rerum quae bonae dicuntur. Aequivoca enim sunt nomina boni et mali et utrumque duplici notione definitur secundum rationem et secundum sensus. Alii igitur id quod sensibus placet aut invisum est bonum aut malum judicant, alii in iis tantum rebus quae ratione percipi possunt, in spiritualibus, vere bona inesse censent. Qui igitur ratione inexercitata meliora non considerant, in hac carnali vita boni debitam partem consumunt (τὴν χρεωστουμένην τῇ φύσει τοῦ ἀγαθοῦ μοῖραν) nihil in futuram reservantes vitam; sapientes autem qui ratione vitam moderantur in futuram eamque aeternam vitam bonum reponunt nunc per breve tempus dolore affecti per ea quae sensibus molesta sunt.

Tota haec expositio naturam mali mutationisque inde ortae ex ea boni notione illustrat, qua bonum appellatur quod naturae (sive intelligibili sive sensibili) aptum est, nulla ratione habita illius discriminis quod est inter ethicam voluntatis actionem quae vel rectum vel injustum appetit et inter naturae impetum ea quae ipsi satisfaciunt h. e. propriam felicitatem affectantem. Prima vita hominis erat simplex, sensibilis enim natura tota a ratione gubernabatur et cum ipsa partem habebat summorum spiritualium bonorum; quum autem cupiditate commotus homo culpa sua errorem suscepisset, quasi, si bona sensibus accepta neglectis reliquis sibi pararet, majus bonum accepturus esset, tunc in vitam decidit ex contrariis commixtam, h. e. ex primo naturae bipartitae consensu internum dissidium factum est, in quo qui sensibus satisfacere vult, intelligibilem naturam bonis suis privat et contra.

5. Ex mutabili hominis natura sequitur „possibilitas“ peccandi sive desciscendi a bono; differentia intelligibilis et sensibilis naturae occasionem praebet peccati committendi. Attamen si primus hominis status non integer solum sed perfectus et absolutus fuisset, haec occasio revera tentatio fieri non potuisset, quoniam perfecta dei communio simul cum spiritu sensibilem quoque naturam in bono inseparabiliter conservatura fuisset (cf. infra §. 22, 4. §. 23 fin.). Itaque ad originem peccandi cognoscendam necesse est ut memores simus illius discriminis, quod inter indolem hominis ad divinam imaginem formati et summam plenamque in spiritualibus bonis perfectionem atque beatitudinem statuendum est, quam homo non statim ab initio penitus accipit, sed in fine tantum studio et virtute adipiscitur. Hoc discrimen nullo modo a Gregorio negari satis elucet ex §. 10 sqq. et infra §§. 22. 23.).

## §. 18.

Hominis lapsum duplex mors consecuta est.

1. Omnia quae in humana vita conspiciuntur mala ex peccato tanquam fonte profluxerunt, atque uno verbo mortis comprehendi possunt (§. 14.). Innumeris ait Gregorius modis mortem esse immixtam naturae*), quum unaquaeque malitiae species quasi viam morti in nos intraturae patefaciat**). Neque ad corpus tantum haec mors pertinet, ut vidimus. Sicut enim per corpus et animam peccatum perficitur, atque una mali communio in anima et corpore est conspicua, sic mortis quoque similitudo est inter corpus et animam or. cat. 61 A.

Singulae autem hujus mutationis per peccatum introductae partes sic describit Gregorius de virg. III, 151. Postquam voluptas fraude intrans initium fecit lapsus (§. 17.):

a) secuti sunt pudor et metus, ita ut homines in conspectu dei amplius nollent vivere;

b) homines induti sunt pellibus mortuis (*δέρμασι νεκροῖς*);

c) cum hac naturae depravatione congruit expulsio e paradiso et institutio conjugii, mortis antidoti.

2. Homo dei conspectum fugiebat, atque hac aversione animae a deo vera ejus vita extincta est. Vidimus enim (§. 10.) veram animae vitam summi boni communicatione consistere. Quum vero ignorantia vere boni (*ἡ τοῦ ἀληθῶς ἀγαθοῦ ἄγνοια*) tanquam nebula tenebras offudisset rationi, et nebula densata nubes facta esset, ita ut propter profundam inscitiam fulgor veritatis non amplius penetraret, cum luce qua indiget vita quoque animae defecit. A deo enim remota excidit vita (de inf. III, 327.). In intellectuali natura *ἡ πρὸς τὸ θεῖον οἰκείωσις ἡ ἀληθής ἐστι ζωή· καὶ ἡ τούτου ἀπόπτωσις θάνατος* c. Eun. 641.

Attamen non prorsus deletam et corruptam esse rationalem hominis naturam §. sequens demonstrat. Non deleta est, sed carnalis facta; a deo recedens in ditionem rerum sensibilium venit. Quamobrem Gregorius animas hominum appellat *διὰ τῆς τῶν παθημάτων κοινωνίας ἀποσαρκωθείσας* ac veluti verrucis obductas additamentis materiae (or. c. 61 D.), quae intimam habeant cum malo consociationem (*συμφυΐαν*). Perturbata est per peccatum imago dei (*συγχεθεῖσα διὰ τῆς ἁμαρτίας* de orat. I, 716.).

---

*) *μυρίαις ὁδοῖς τοῦ θανάτου κατακριθέντος τῇ φύσει* de orat. I. 736.

**) *Πᾶσα γὰρ κακίας ἰδέα οἷόν τις ὁδὸς τῷ θανάτῳ καθ᾽ ἡμῶν γίνεται* ib.

3. Tantum autem abest, ut major vis quam natura sensibilis per peccatum sibi arrogavit majorem ipsi paraverit dignitatem, ut per ipsum peccatum a beatitudine passionibus libera excideret atque transformaretur ad vitium (*πρὸς τὴν κακίαν μετεμορφώθημεν* or. cat. 59 C.). Quomode hac factum sit, Moses allegorice sed satis perspicue docet. Narrat enim protoplastos, quum sibi vetita arripuissent et denudati essent illa beatitudine, a deo esse amictos pelliceis tunicis h. e. facultate moriendi praeditos (omnis enim pellis ab animali vivente sejuncta mortua est). Haec enim primum animalis tantum naturae erat proprietas, sed postea homini quoque a deo providente indita est, non semper duratura (nam vestes deponuntur) neque internam hominis naturam attingens (v. i. p. 70.), sed externam sensibilem obtegens atque amplectens . or. cat. 60 AB. *). Hac re efficitur solutio naturae sensibilis, qua in elementa ex quibus erat composita diffunditur. Quam ob causam Paulus primum Adamum vocat terrenum (*χοϊκὸν*), quia propter peccatum in terram dissolvitur (*τοῦ πρώτου ἀνθρώπου εἰς γῆν διὰ τῆς ἁμαρτίας ἀναλυθέντος* tom. II, p. 11.). Nam mors sequitur peccatum: *οὐ γὰρ ἐστιν ἄλλη θανάτου γένεσις πλὴν ἁμαρτία* ib. p. 15.

Haec autem mors, quae et poena peccati est et ut videbimus remedium, non ad arbitrium a deo hominibus imposita est, sed ex necessitate naturae peccatum sequi videtur, quoniam natura sensibilis tunc tantum a solutione et corruptione materiae propria libera manet, quum a superiori spirituali natura gubernatur atque extollitur (§. 11.).

4. Huic depravatae naturae tota vitae conditio accomodanda erat. Itaque e paradiso expulsi sunt protoplasti extor-

---

*) — *οἶμαι τὴν πρὸς τὸ νεκροῦσθαι δύναμιν, ἣ τῆς ἀλόγου φύσεως ἐξαίρετος ἦν, ἐκ προμηθείας μετὰ ταῦτα τοῖς ἀνθρώποις ἐπιβεβληκέναι τὸν τὴν κακίαν ἡμῶν ἰατρεύοντα, οὐχ ὡς εἰς ἀεὶ παραμένειν· ὁ γὰρ χιτὼν τῶν ἔξωθεν ἡμῖν ἐπιβαλλομένων ἐστὶ, πρὸς καιρὸν τὴν ἑαυτοῦ χρῆσιν παρέχων τῷ σώματι, οὐ συμπεφυκὼς τῇ φύσει· οὐκοῦν ἐκ τῆς τῶν ἀλόγων φύσεως ἡ νεκρότης οἰκονομικῶς περιετέθη τῇ εἰς ἀθανασίαν κτισθείσῃ φύσει, τὸ ἔξωθεν αὐτῆς περικαλύπτουσα οὐ τὸ ἔσωθεν, καὶ τὸ αἰσθητὸν τοῦ ἀνθρώπου μέρος διαλαμβάνουσα, αὐτῆς δὲ τῆς θείας εἰκόνος οὐ προσαπτομένη.* Non igitur ipsa sensibilis natura additur propter peccatum, sed sensibilis natura quae erat ab initio morti subjicitur. Docet igitur hic locus, recte nos supra illum locum intellexisse, qui pellicea tunica omnia ea comprehendi voluit, quae in nobis cum animali natura revera cognata sunt (cf. §. 15, p. 53.).

resque missi in hanc regionem morborum laborumque plenam (εἰς τὸ νοσῶδες καὶ ἐπίπονον χωρίον de virg. III, 151.), in qua mors pro vita, imbecillitas pro potestate, pro benedictione execratio, pudor pro elato animo et fiducia, pro omnibus bonis contraria inveniuntur or. cat. 57B. Ne autem statim deficeret humanum genus modo creatum, conjugium ut consolatio et antidotum mortis a deo institum est (ἐν ᾧ [sc. χωρίῳ] ὁ γάμος παραμυθία τοῦ ἀποθνήσκειν ἐπενοήθη de virg. III, 151.). De qua re supra jam egimus (§. 15, p. 54 sq.).

## §. 19.

**Propagatione et mors et peccatum ad universum genus humanum pervenit, ita ut homo quamvis libero arbitrio haudquaquam destitutus sui liberator atque restitutor esse non posset.**

1. *Τὸ κακὸν δι᾽ ἑνὸς εἰς πλῆθος ἐχέθη, τῇ διαδοχῇ τῶν ἐπιγνομένων συμπλατυνόμενον* (Gr. in verba, tunc ipse filius subj. II, p. 11.). Ita primum mors ipsa propagata est. Nam qui a primis hominibus procreati sunt, ejusdem atque illi naturae participes facti sunt; ab Adamo igitur terreno (§. 18, 3.) nascuntur terreni et mortales ad ejus similitudinem: *ἀκόλουθον ἦν κατ᾽ ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἐξ ἐκείνου γενέσθαι πάντας χοϊκοὺς καὶ θνητοὺς κ. τ. λ.* ib. p. 11.

2. Quum vero Gregorius traducianismum defendat atque eodem modo et simul corpus animamque nasci velit, animae quoque status in posteris depravatione aliqua non vacabit. Adami enim ratio a vera vita declinans et errore seducta cupiditati sensuum obtemperaverat. Unde factum est, ut nunc quoque anima non eam in naturam sensibilem exerceat potestatem quae ipsam deceat, sed statim ab initio uniuscujusque hominis actiones quasi praeoccupentur a sensibus, et hanc ob causam idem error, qui in Adamo relinquens divina bona et eligens sensualia peccavit, nunc quoque animas in falsis bonis appetendis retineat: *ἐνταῦθα γὰρ ἀνάγκη τὶς ἔπεστι τῇ ψυχῇ, ἀλλοτρίᾳ κρίσει δουλεύειν ἐν τῇ περὶ τοῦ καλοῦ ὑπονοίᾳ* de mort. III, 630. Nam quum mentis quidem perfecta vis ab infantibus capi nondum possit, sensuum autem efficacia (*ἐνέργεια*) quodammodo perfecta infanti innata sit, aestimatio pulchri a sensibus praeoccupatur et anima inconsiderate ac sine exploratione recipit quod sensibus suave et consuetudine jam conjunctum est*).

---

*) *Προλαμβάνεται ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως ἡ διάνοια ἐν τῇ τοῦ καλοῦ κρίσει, καὶ τὸ τοῖς αἰσθητηρίοις φανὲν ἤδη καὶ*

Itaque monet nos Gregorius, ut memores simus communis humani generis naturae neve opinemur nos remissione peccatorum non indigere sicut ille Pharisaeus (Luc. 18, 11.), qui, nisi hominem se esse oblitus esset, a scriptura edoctus (Prov. 20, 9.) intellecturus fuisset naturam nostram a s o r d e penitus puram esse non posse*). Recordemur potius communium humanae naturae delictorum, quorum unusquisque partem habet qui ejusdem naturae particeps est**). In nobis enim omnibus quasi vivit Adam (*ὡς γὰρ ζῶντος ἐν ἡμῖν τοῦ Ἀδὰμ κ. τ. λ.*), quamdiu pelliceas tunicas in natura nostra conspicimus et folia materialis hujus vitae in tempus aliquod suscepta pro splendidis propriis vestibus quas deposuimus, quum gloriam, delicias, honores fluxos brevemque carnis expletionem praeferremus diviniori vitae, — et quamdiu ad orientem nos convertimus, ubi prima nostra patria est, paradisiaca vita, recordantes lapsum ex locis beatis nos qui a ficu malae vitae obumbramur etc. de orat. I, 755 sqq.

Itaque vel perfectissimi (Moses aliique) hanc precem (remitte nobis culpam) sibi aptam esse putant, quoniam homines sunt humanae naturae ejusque lapsus participes (*καθὰ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ κοινωνῶν τῆς φύσεως τοῦ Ἀδὰμ, κοινωνῶν δὲ καὶ τῆς ἐκπτώσεως* ib. 756.).

3. Hunc ait Gregorius esse generaliorem illius precis (remitte nobis culpam) sensum***). Si vero quis accuratius verum ejus sensum quaerat (*τὴν ἀληθῆ τοῦ ῥήματος διάνοιαν*), ad communem naturae conditionem respicere vix opus esse: *ἱκανὴ γὰρ ἡ συνείδησις ἐκ τῶν ἑκάστῳ βεβιωμένων ἀναγκαίαν ποιήσασθαι τοῦ ἐλέου τὴν αἴτησιν.* Peccata actualia omnibus bene cognita sunt. P e r d i f f i c i l e enim vel prorsus i m p o s s i b i l e est†) in hac mundana multiformi vita ne uno quidem affectu ad peccatum abripi (*δύσκολον ἢ καὶ παντάπασιν ἀμήχανον, μὴ ἑνί τινι πρὸς ἁμαρτίαν πάθει συνε-*

---

*νομισθὲν εἶναι καλὸν καὶ διὰ συνηθείας προειλημμένον ἀβασανίστως δέχεται ἡ ψυχὴ ἐκεῖνο κ. τ. λ.* de mort. III, 630.

*) *Εἰ γὰρ ἐγνώκει ὅτι ἄνθρωπος ἦν, πάντως ἂν τὸ μὴ καθαρεύειν ἀπὸ ῥύπου τὴν φ ύ σ ι ν παρὰ τῆς ἁγίας ἐδιδάχθη γραφῆς* (Prov. 20, 9.) de orat. I, 755.

**) — *τῶν κοινῶν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ὀφλημάτων ὧν πάντως τὶς καὶ αὐτὸς μετέχει τὸ μέρος συμμετέχων τῆς φύσεως* ib.

***) Haec dicta sunt, *ὡς ἄν τις τὸν κοινότερον ἐπισκοπῶν λόγον τὸ προκείμενον θεωρήσειεν.*

†) Cf. de an. et res. 227 D. sq., ubi monet Gregorius, ut poenam post mortem imminentem vitaturi aut omnino a vitii inqui-

*νεχθῆναι.*). Quis enim tam magno excelsoque est animo, qui neque sensuum voluptatibus neque impetu cogitationis motuque voluntatis contaminetur. Neque enim sensus solum portae sunt per quas peccata intrant, sed multitudo aliorum praeterea peccatorum ad animam voluntatemque pertinent (*κατα τὴν ψυχήν τε καὶ προαίρεσιν* Matth. 15, 19.). Quodsi undique peccati retia nos circumdant, quis gloriabitur habere se cor purum? Quamobrem differentiae quidem sunt meliorum pejorumque hominum, sed *πάντῃ καὶ πάντως ἐν πᾶσι τοῖς κοινωνοῦσι τῆς φύσεώς ἐστι καὶ ἡ κοινωνία τῶν πλημμελημάτων τῆς φύσεως* de orat. 756—58.

4. Demonstrant sententiae modo expositae, peccatum quod oriatur in cupiditate, assentiente ratione, non in eas tantum partes animae irrepere quas ex communione cum irrationali natura attraxit homo (*τὸ ἐπιθυμητικὸν* et *τὸ θυμοειδές*), sed mediam quasi in animam h. e. in partem rationalem (*λογικόν*) intrare per contagionem. Quod fieri potest, quoniam in primo quoque peccato omnibusque ejusdem generis sequentibus peccatis non cupiditas sensuum per se spectata peccet, sed error animae, vitium rationis accedat. Sicut igitur diabolo materia peccandi non defuit, quamvis a carne non pelliceretur, sic etiam nunc in homine, ut semel mens in errorem incidit, peccata quaedam oriuntur soli rationi adscribenda. Sic in epistola ad Letoj. II, 115 sq., ubi de gradibus poenae in poenitentiae disciplina ordinandis agit eosque tribus illis animae partibus distribuit (*λόγῳ, θυμῷ, ἐπιθυμίᾳ*), non solum duas humiliores partes sed ipsam quoque rationalem facultatem ad utrumque usum bonum malumque adhiberi posse confirmat et, quum parti concupiscenti vitia tribuat libidines, avaritiam, inanae gloriae cupidinem, partique animosae iram, invidiam, odium, contentiones etc., ad rationalem partem non solum perversam rerum eligendarum existimationem (*ἀκρισίαν*, quae in omnibus peccatis latet v. s. §. 17.) sed etiam impietatem (*ἀσέβειαν*) refert. Et in libro de hom. op. c. 18. ait, hominem, postquam propter peccatum animalibus similis factus sit susceperitque ex hac animali natura perturbationes animi, similem quidem esse statuae duabus faciebus praeditae, sed etiam rationem ita obbrutescere posse, ut universa hominis natura in aliam figuram redigatur. Quin etiam ipsam rationem auxilio suo cupiditates

---

namentis animam servemus puram aut, si hoc penitus fieri nequeat propter naturam nostram affectionibus obnoxiam (*ἢ εἰ τοῦτο πάντῃ ἀμήχανον διὰ τὸ ἐμπαθὲς τῆς φύσεως ἡμῶν*), in levissimis tantum aberremus.

ita exaggerare posse, ut humanae animalium cupiditates longe superent l. l. p. 93.

5. Quamvis autem magnam vim Gregorius peccato hominum vitam pervadenti concedat, peccatum tamen quod dicitur originale sive vitium originis proprie non agnoscit, ut jam dubitatio illa ostendit, num fieri possit, ut aliquis prorsus a peccato purum se conservet (v. s. n. 3.); et de beatit. I, 781 sq. non dubitat dicere, verba Matth. 5, 4. (beati qui lugent etc.) non tantum ad peccata lugenda referri posse, quia multi inveniantur vitam omni culpa liberam (*ἀκατηγόρητον βίον*) servantes, quales sint Johannes, Elias etc. Propagationem autem peccatorum quam supra descripsimus non ita intelligit Gregorius, quasi uniuscujusque anima semen quoddam peccati ab Adamo vel vitiosam acciperet affectionem, sed ita potius, ut totam hujus vitae conditionem ejusmodi esse velit, quae animam per se puram facile in eundem errorem implicaret quo Adam lapsus est (Adam facilius peccatum evitare potuit quam nos). Ad hanc praesertim periculosam vitae conditionem pertinet illa vis sensuum praepollens (illud *ἐμπαθὲς τῆς φύσεως*), quae tamen non cogit sed ad errorem pellicit animam. Itaque alio loco (de infant III, 329.) ait, fere omnes in carne viventes illo morbo ignorantiae coerceri (*τῆς κατὰ τὴν ἄγνοιαν νόσου πάντων σχεδὸν τῶν ἐν τῇ σαρκὶ ζώντων ἐπικρατούσης*).

Quod autem haec repugnant sententiis supra allatis, ex totius doctrinae natura sequitur. Magnam vim peccatum undique profert suasque miserias ut videmus nemini non injungit: inde sententia de universali peccati propagatione; attamen nemo sine culpa, igitur nemo sine libero voluntatis assensu peccat: inde illa dubitatio num fortasse aliqui restiterint errori. Quod si negatur, libertas tolli videtur.

Ipsam vero intelligibilem hominis naturam puram traduci ex eo quoque colligitur, quod infantes qui mox post partum morte abripiuntur expertes sunt malitiae nulloque, ut putat Gregorius, animae morbo impediuntur, quominus beati divinum splendorem adspiciant*). Nullus enim verus animae morbus cogitari potest, cujus non ipsa anima auctor sit.

6. Non igitur ipsa animae natura propter propagationem morbo peccati subjecta est, sed in eum vitae statum pervenit, in quo vix sanam se conservare potest, quia a) ut vidimus

---

*) *Τὸ δὲ ἀπειρόκακον νήπιον μηδεμιᾶς νόσου τῶν τῆς ψυχῆς ὀμμάτων πρὸς τὴν τοῦ φωτὸς μετουσίαν ἐπιπροσθούσης κ. τ. λ.* de inf. III, 329.

sensualis vitae vinculis misere constringitur*), b) eadem sensuali natura peccato depravata tanquam muro secluditur a vera vita i. e. a deo. Quum enim peccatum sit alienatio a deo, haec alienatio ut haereditas ab Adamo nobis traditur. Homo enim modo creatus in abundantia erat divinorum bonorum, nos statim ab initio in abundantia sensibilium, inopia divinarum rerum versamur, quamvis indoles et natura animae permutata non sit. Ex hac tristi conditionis humanae permutatione per peccatum Adami cujus naturae nos omnes participes sumus orta, in qua vix quisquam satis cavet, ne sensibus plus concedat, quam rationem dei similem deceat, nascitur communis illa delicti conscientia quam Gregorius distinguit a conscientia peccatorum unicuique propriorum (v. s. n. 2. coll. 3.).

Incrementa autem malitiae, quae videmus in mundo exsistere, a peccandi consuetudine**) derivat Gregorius (de virg. III, 149.). Ait enim, quum peccandi consuetudo in vitam hominum perniciose irrepsisset, ita ut ex parvo initio immensa mali moles proveniret, hominem imaginis divinae gratiam non conservasse, sed divinam animae pulchritudinem, ut ferrum rubigine consumitur, corruptam esse per peccatum; hominem ipsum ad foeditatem peccati esse transformatum atque amissa similitudine dei incorruptibilis corruptam et luteam (*πηλίνην*) imaginem induisse. Quae descriptio partim ad depravatam per peccatum Adami naturam perniciosamque sensualis naturae vim mortisque potestatem, partim ad majorem depravationem a singulis hominibus propria culpa contractam respicit.

At ne tunc quidem prorsus deletur imago dei, sed pulchritudo divina obtecta tantum luto et quasi offuscata oculis subducitur. Itaque etiam revocari potest ablutis sordibus, quod fieri non posset, si revera deleta esset. Nostris enim viribus dei similitudinem assequi non possemus, nisi hanc similitudinem deus nobis statim ab initio pro sua benignitate dedisset***). Nostrum autem est (*τῆς ἀνθρωπίνης σπουδῆς*)

---

*) Cf. etiam de scopo Christ. p. 199.

**) Eadem vox Pelagianis quoque usitata; cf. Pelagii ep. ad Demetr. c. 8: Neque vero alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quam longa consuetudo vitiorum etc.

***) *Οὐ γὰρ ἡμέτερον ἔργον οὐδὲ δυνάμεως ἀνθρωπίνης ἐστὶ κατόρθωμα ἡ πρὸς τὸ θεῖον ὁμοίωσις· τοῦτο μὲν τῆς τοῦ θεοῦ μεγαλοδωρεᾶς ἐστιν, εὐθὺς ἅμα τῇ πρώτῃ γενέσει χαρισαμένου τῇ φύσει τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητα* (cf. supra §. 10, 3. p. 27 sqq.).

abluere sordes e peccato susceptas, ut denuo effulgeat animae obvelata pulchritudo. Regnum dei intra nos est, dei bonum a natura nostra non est disjunctum, sed latet (de virg. III, 149. cf. locum supra §. 17, 2. p. 59. laudatum: de scopo Christ. III, 298 sq.). Quodsi res ita se habet, praestantissima quoque liberi arbitrii facultas, sine qua dei imago in homine non esset, deleta esse nequit (cf. supra §. 18, 3. et infra §. 21. p. 80.).

7. Quamvis vero libera sit hominis voluntas retinueritque in intima natura amorem divinarum rerum, propriis tamen viribus pristinum statum restituere homo nequit*). Neque enim mortis potestatem neque sensibilis naturae praevalidam vim ipse frangere potest. Atque quum mens ipsa per lapsum Adami vitam nacta sit a plena divinorum bonorum cognitione sejunctam, quumque passionum errore decepta et quodamodo incantata sit, quomodo errans de vero bono ipsa errorem poterit sanare, quomodo quae aberravit a via salutis sine duce reverti poterit? adv. Apoll. 51. p. 261. 40. p. 227. orat. cat. 64 A. de scopo Christ. p. 299. 302. etc.

---

*) Ἡμεῖς — οἱ τὴν ἁμαρτίαν νοσήσαντες, οἱ διὰ τῆς τοῦ κακοῦ παραδοχῆς ἀσθενήσαντες, — ἡμεῖς διὰ τὸ τραπῆναι πρὸς τὸ κακὸν τοῦ ἀτρέπτου προςεδεήθημεν, οἱ τῆς σωζούσης ἀποπλανηθέντες ὁδοῦ τοῦ καθηγουμένου πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἐν χρείᾳ γεγόναμεν adv. Ap. c. 40. p. 227.

# Vita.

Natus sum Erfordiae anno MDCCCXXVII. die primo mensis Octobris, patre Joanne Friderico, sacrorum antistite, postea e consiliis ecclesiasticis provinciae, matre Dorothea e gente Trommsdorffiana. Ibi et in schola Seminarii Regii et in quatuor inferioribus Gymnasii Regii ordinibus primis litterarum elementis imbutus sum. Deinde, quum patri anno MDCCCXLIII. summum rerum ecclesiasticarum in hac provincia moderandarum munus delatum esset, Magdeburgi per quatuor annos scholam Cathedralem frequentavi. Anno autem hujus saeculi quadragesimo septimo maturitatis testimonio munitus Berolini in civium academicorum numerum receptus et apud theologorum ordinis decanum, V S. V. Neandrum nomen professus sum. Hujus viri venerabilis cujus piissimam semper memoriam tenebo, et VV. SS. VV. Nitzschii, Twestenii, Hengstenbergii, Jacobii, Erbkammii, Vatkii, Piperi scholis interfui. Praeterea auspiciis Trendelenburgi, Gableri, Georgii philosophis studiis operam dedi. Hinc post biennium Halas Saxonum profectus et VV. SS. VV. Muellerum, Thilonem, quem virum doctissimum atque mitissimum morte nobis ereptum equidem cum omnibus doleo, Tholuckium denique et Hupfeldium theologiae disciplinas tradentes, V. C. Leonem recentiorum temporum historias narrantem audivi, et seminarii Hupfeldiani per annum sodalis fui. Bonnae denique VV. SS. VV. Rothii et Dorneri et V. D. Diestelii scholis interfui atque utriusque seminarii et theologici, moderantibus VV. SS. VV. Hassio, Dornero, Bleekio, et homiletici atque catechetici auspiciis VV. SS. VV. Rothii et Staibii exercitationum fructus percepi. Autumno anni MDCCCLI. Confluentiae examine absoluto concionandi veniam nactus Magdeburgumque inde reversus per annum fere integrum et litteris me dedi et nonnunquam concionatus sum. Jam vero proximum annum Halis studiis, quibus ad licentiati gradum obtinendum me pararem, impendi.

# THESES.

1. *Doctrina Gregorii Nysseni de homine pari necessitate quam Origeniana dogma restitutionis omnium (ἀποκαταστάσεως) postulat.*

2. *Propria hominis natura secundum Origenem in sola anima, secundum Gregorium in conjunctione animae cum corpore conspicitur.*

3. *In lite Ariana pars Athanasii multo majore jure Origenem suum esse contendit quam pars Arii.*

4. *Locus ev. Joh. I, 29. ad solum Jesaianum (c. 53.) respicit.*


5. *Paulus apostolus Romae semel tantum in vincula conjectus est.*

6. *Libertas divina a necessitate non differt.*


7. *Ministerium ecclesiasticum a communi tantum Christianorum sacerdotio auctoritatem repetit.*

8. *Jure doctrina ecclesiae evangelicae sanctificationem a justificatione accuratissime sejungit.*

9. *Philosophumena quae Millerus sub Origenis nomine edidit a Cajo presbytero Romano scripta sunt.*


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 09 07 07 004 9





LASS 2
3
4
60 INCH 5
6